



Dbl

U. q. 17, 13

*Q. D. B. V.*  
DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
**PRINCIPE TE-  
STATORE,**

*Quam*  
*Annuente Deo O. M.*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORVSSICI, ELECTORATVS ET  
PROVINCIARUM BRANDENBURG. HEREDE,  
&c. &c.

*In Academia Regia Fridericiana*  
PRAESIDE  
**DN. SAMVELE STRYKIO, JCto,**  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORUS-  
SORUM CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORE  
PRIMARIO, ET FACULT. JURIDICÆ ORDINARIO,  
PATRONO SUO ÆTERNUM SUSPICENDO,  
IN AUDITORIO MAIORI,  
D. Maj. Anno Salutis MDCCII.  
*placide publicèque ventilationi offert*  
**JOHANNES JACOBUS LUEDECKE,**  
Hall. Sax.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

PERILLUSTRIBUS ET EXCELLENTISSIMIS  
DOMINIS  
**DN. JOH. FRIDERICO**  
Ab ALVENSLEBEN,  
S. REG. MAJ. PRUSS. UT ET SERE-  
NISS. DUCUM BRUNSVICENS. MINISTRO STATUS ET  
CONSILIARIO INTIMO, TOPARCHÆ IN HUN-  
DISBURG, GATTERSLEBEN, ROGATZ,  
KALBE, GLOTHE ET SEEDORFF.  
&c. &c.

**D N. CAROLO**  
a DIESKAU,  
S. REG. MAJ. IN REGIMINE DU-  
CATUS MAGDEBURG. CONSILIARIO ATQUE TRI-  
BUTORUM SUPREMO DIRECTORI.

Dynastæ in Dieskau, Lochau,  
& Bruckdorff.

tenue hoc pignus Obsequii

D. D. D.

JO. JAC. LUEDECKE.

## PERILLUSTRES DOMINI.



Udax est ille meus, quo Vos  
pie colo, animus. Audet e-  
nim, quicquid etiam tacita  
mentis disputatio in contrari-  
um fuggerat, Generosissimis  
Vestrīs Nominib⁹ præsentes  
consecrare pagellas. Et licet multas hujus audaciæ  
causas allegare possem, nisi me chartæ angustia  
prolixam earundem enumerationem religioso  
silentio præterire juberet, unicam tamen hanc  
sufficere spero, ut levidensi hoc munere men-  
tem meam debitæ observantia indicem erga Vos  
explicarem, & quo porro me meosque conatus  
juveniles exasciato Vestro arbitrio imposterum  
submitterem & commendarem. Evidem ele-  
gantiora esse debuissent, quæ in Vestrū demit-  
terem sinum, sed cum tam parum gratæ fortis  
habeam, ut nihil dignius jam invenire potuerim,  
certissima spes meum alit animum, Vos tenuē  
hoc specimen Academicum benevolo vestro  
vul-

vultu dignaturos. Suscipite ergo serena fronte id, quod Vobis sacrum esse jam volui, & quemadmodum Venerandum Parentem meum hactenus insigni complexi estis favore, ita & mea quoque studia & conamina, quibus absque Patronis emergere haud licet, efficaci Vestra benevolentia & auxilio ut dignemini, est, quod curatissimis à Vobis exopto precibus. De cetero supremum rerum omnium moderatorem supplex veneror, ut Vos firmissimas salutis publicæ columnas & in egregium publicum, literarumque conservationem ac incrementum diu sospites agere velit, id quod ex animo precatatur.

## EXCELLENTISSIMORUM VESTRORUM NOMINUM.

Cliens ac Cultor  
obsequiosissimus.

JOH. JAC. LUEDECKE.



## INGRESSUS.



Egum Principumque  
potestatem in dubium vocare sa-  
cilegio quondam adscripserunt  
Imperatores. Periculi enim ple-  
na res est, de illorum jure scribere,  
qui possunt proscribere, attamen  
cum unusquisque boni Regis Principisque titulum af-  
fector, & a dominatu nedium a Tyrannie immunis esse  
cupiat, & hinc digna maiestate sua vocem censeat, legi-  
bus submittere Principatum, illisque vivere, quibus, si  
summo jure uti vellet, solutus eslet, non existimavi,  
quenquam Imperantium ægre ferre posse, si speciminis  
academici loco modeste & debita cum submissione inqui-  
sivero, non qua potestate, dum vivunt, gaudeant, sed  
quid, postquam vivere & velle desierunt, ponderis ha-  
beat ultimum ipsorum elogium. Quod enim vulgo di-  
cunt,

cunt, Regem & Principem omnia posse, hoc quamdui Rex est, procul dubio procedit: Verum postquam Rex esse desit, alius jam adeat, a cuius nutu dependet Imperium: Si ergo Rex defunctus facere possit, ne actu imperans hoc vel illud non posset, majestas defuncti potentior foret majestate illius, qui actu clavum Reip. moderatur. Interest igitur Regum Principumque morientium, ne limites potestatis ultra potestatem extendant. Interest quoque Principum regnantium, ne vel jure suo priventur, vel etiam justissima defuncti elogia floccipendant. Quapropter omnino disquisitionis academicae est, excutere, quid summis rerum moderatoribus in Testamento suo provide conscribendo obseruandum sit, nam & hic saepius arrogata disponendi libertas, & successores legitimos, & ipsam Remp. gravissimis exponit periculis. Quare cum mihi ex hac illustri academia discessero adhuc specimen aliquod juridicum edendum fuerit, materiam hanc sua utilitate conspicuam selegi, in qua ingenii vires periclitarer. Non autem omnia huc retuli, quae amplissimum dicendi campum præberent, sed illa tantum collegi, quæ Principibus potissimum Imperii, si futuris litibus occurrere velint, in suis Testamentis quam maxime observanda sint. Faxit Deus, ut feliciter!

CAP. I.

CAP. I. DE DIVERSITATE PRINCIPUM TESTANTIUM. 7

CAP. I.

DE

DIVERSITATE PRINCIPUM  
TESTANTIUM.

§. I.

**D**E Principe Testatore, dum hac vice acturus sum, *Principis  
frustranea videtur opera, ejus ultimam dispositio-  
nem ad regulas juris revocare, cum hunc Legibus sumum de-  
solutum esse constet ex L. Princeps. 31. ff. de Legib. notat.*

Hinc, si unquam liber ultimæ voluntatis stylus esse potest  
juxta L. 1. C. de S. S. Eccles. certe haec libertas quam maxi-  
me debetur Principi, adeo ut hujus dispositioni optime  
quadret illud ICti Scævolæ in L. 88. §. ult. ff. de Legat. 2. ita  
inquietis : *Hoc meum Testamentum scripsi sine ullo  
jurisperito*, rationem animi mei potius fecutus,  
*quam nimiam & miseram diligentiam, & si minus  
aliquid legitime, minusque perite fecero, pro jure legitimo  
baberi debet hominis sani (& sic etiam Principis) voluntas.*  
Verum cum Principis appellatio jure Pandectarum  
ipsum Imperatorem designet, per §. 6. Inst. de J. N.G. &  
C. & per tot. tit. ff. de Constit. Princip. non mox eadem li-  
bertas citra ullam Legis observantiam testandi omni-  
bus adscribenda erit : Sed separandi sunt Principes,  
qui absoluto jure gaudent, & qui superiorem agno-  
scunt, & ita sub certo legum vinculo cum aliis Rempu-  
blicam constituunt, quales sunt Imperii Principes, de  
quorum Testamentis in specie nobis agendum, si mo-  
do incidenter quædam de Regum & Principum absolu-  
torum dispositionibus præmisero,

§. II.

*De absoluto-  
rum Princi-  
pum testa-  
mentis.*

*An ad solen-  
ni obser-  
vantur.*

*Annon testes  
adhibere te-  
neantur.*

§. II. Quod attinet absolutos Principes, horum nomine omnes comprehendimus, quacunque etiam gradus eminentia gaudeant, sive Imperatores sint, sive Reges, sive alio titulo absolutum in suas terras imperium teneant. De his supervacuum foret querere, an testari possint, & ad quæ solennia adstringantur: Prius enim, cum privato cuicunque competit, nemo quoad personam Principis in dubium vocabit hanc facultatem. Nec de solennium observatione hic quidquam scrupuli moveri potest, cum expeditum sit, solennia Legum civilium non pertinere ad illos, qui a talium Legum nexu liberati sunt. Et quamvis ejus loco plerumque substitui soleat observatio solennitatum Juris Gent. quas in voluntatis declaratione & probatione consistere volunt: attamen minus commode hæc solennia vocantur, quæ ad veritatem gesti negotii pertinent, de qua sola etiam solicitum est jus Gentium, nec ad solennitates, utpote quæ abesse possunt, unquam respectum habet. Quapropter firma hic erit Regula: Principum absolutorum Testamenta, si voluntas sufficienter declarata ac probata fuerit, plena autoritate gaudere.

§. III. Hic vero mox se sistit insigne dubium, an caute fatis agant Reges & Principes, si Testamentum manu sua scribant, vel subscribant, annon vero consultum sit, ut ad minimum duos adhibeant testes, utpote quos ad fidem faciendam jus divinum pariter, ac Gentium exigit. Occasionem huic dubio præbuit nuperum illud, & utinam non toti Europæ funestum, CAROLI II. Hispan. Regis Testamentum, quod ipse condidit d. 2. Octobr. 1700. sine ullo teste sola subscriptione munitum. Evidem, quantum memini, hunc defectum

huc

## PRINCIPUM TESTANTIUM.

9

huc usque vix urserunt Testamenti illius impugnatores, procul dubio eo respicientes, quod militibus permisum fit sola sua manu voluntatem exprimere, etiamsi in vagina literis sanguine rutilantibus scripserint. *L. 15. C. d. milit. Testam.* & quod Parentibus etiam indulatum sit, sine ullo teste inter liberos testandi, sive totum scripserint testamentum, sive faltem subscripterint. *Nov. 107. c. 1. &*

*Autb. quod sine. C. de Testam.* Quis ergo plus exigeret ab *De Regis Hispaniae Testamento.* absoluto Rege? Certe si Carolus II. Hispan. Rex de bonis libero suo arbitrio subiectis disposuerit, nemo fidem dispositionis in dubium vocasset: Verum quia de ipsa Regni successione disponendi licentiam sibi summis, heredem instituendo illum, cui de jure non debebatur, & tot futuros regni successores substituendo, ut Europa perpetua suppeditaretur bellorum materies, & deinde, quia eo tandem corporis ejus animique constitutio devenerat, ut incertum esset, an libere, an per importunas preces ac solicitationes alterius ad illam de regno disponendi rationem permotus, vel an non tandem Testamentum ab alio confectum conscriptumque ipse, quicunque folia amplius perlegeret & lecta secum perpendere potis non erat, oblatum, & sub derrogatione sacramenti ad illius subscriptionem commotus fuerit, omnino in tali statu ipsum jus Gent. exegisset, ut adhiberentur testes, qui de seria & libera ejus voluntate deponerent, quo & regno Hispaniae & futuro successori fides fieret, omnia fideliter ita acta ac disposita esse.

§. IV. Solenne hujus rei exemplum, non sine omni teste elogia Imperatorum Regumq; exponenda esse, nobis exhibet celebre illud Caroli Magni Testamentum, qui utut illo ipso inter liberos tantum disponeret, & inter hos

B

divi-

*Probatur exemplo te-  
bamenti Ca-  
rolini M.*

divideret regna, quæ jure penitus absoluto tenebat, liberi autem ad obsequium paternæ dispositionis etiam jure Justinianeo, omni licet teste destitutæ, adstringantur; attamen noluit autoritatem testamenti sola sua subscriptio ne nisi, sed testium loco accivit Francorum ordines, ut illi testamentum subscriberent, & sua autoritate eidem robur adderent; imo nec in hoc acquievit, sed postea Romanus milis, ut ab ipso Pontifice subscriberetur, de quo vid. Cardin. Baron. *in Annal. ad ann. 806. n. 26.* Clariss. Schurz. fleisch. *Diff. de divisione imperii Carol. tb. 10. & 11.* Imo cum paucis post annis de mobilibus suis per modū codicilli separatis disponeret, hæc dispositio subscripta fuit ab Episcopis, Abbatibus & Comitibus, tunc temporis præsentibus, prout testatur idem Baron. *ad ann. 811. n. 47.* Hujus exemplum, si imitatus fuisset Carolus II. eo minus voluntas ejus in dubium vocari posset, (de potestate enim dicetur postea) nec rot calumniis se exposuisset autor testamenti, Cardinalis Porto Carerius.

*Et Philippi Regis Gallie* lutorum testamenta, qui voluntatem suam ultimam sola subscriptione sua ratam fore non existimarent, nisi & testes adhiberent. PHILIPPUS, Rex Franciæ, antequam iter in terram Sanctam susciperet, testamentum condidit Parisiis anno MCXC. qui tamen quatuor adhibuit testes, sicuti testamentum ejus recenset Celeberr. Dn. Leibnitz. *in Cod. jur. Gent. Diplom. part. 1. num. 3. Idem num. 31.*

*Caroli II. Regis Sicilie.* pag. 51. refert Testamentum CAROLI II. Siciliæ Regis de anno MCCCCIX. d. 16. Mart. in quo cum masculos remotores foeminiis propioribus in successione præferendos censeret, Notarium publicum cum variis Regni Ministris, tanquam testes specialiter rogatos ad-

## PRINCIPUM TESTANTIUM.

II

adhibuit. Pariter Carolus III. Dux Sabaudiæ, cum d. 27. *Caroli Ducis*  
*Febr. M DXL.* testamentum conderet, duodecim testes *Sabaudie,*  
 cum Notario adhibere voluit, sicut hoc refertur in *Collectionibus Tractatum Pacis & fæderum. Amstelodami Anno*  
*1700. editis Tom. 2. num. 48. pag. 215.* Ipse LUDOVICUS XIII. Galliæ Rex cum ann. M DC XLIII. testamentum conderet, majoriadhuc cautione, quam simplici testium præsentia usus, dum convocatis Principibus Sanguinis, Ducibus, Paribus, Marechallisque Franciæ & Ministris Coronae juramentum solenne a Regina & Fratre exegit de dispositione illa sancte servanda, quod testamentum pariter extat integrum in *Collectionibus Tractat.*  
*Pacis jam allegatis Tom. III. n. 405. p. 862.* Ex quibus omnibus abundanter appetet, non solere Reges Principesque in dispositionibus magni momenti fidem negotii in sola nominis subscriptione collocare, sed ut certitudo voluntatis post mortem eo sit evidenter, proceres regni testes adhibere. Quod in Testamento illo Hispanico, de quo antea dictum, forte non ausus fuit Cardinalis, ne proceres Regni Hispanici de alia mente Regis testimonium ferre possent.

§. VI. Omnis autem difficultas hic remanet circa *An de ipso  
 Regno va-  
 leat disposi-  
 tio.*  
 potestatem ipsam de regno & provinciis suis disponendi, an eatenus Regum Principumque Testamenta sustineantur. Equidem decantata hic distinctio est inter Regna, quæ quasi in patrimonio Regis sunt; & illa, quæ populi arbitrio deferuntur, & alias electitia vocantur: quoad hæc cū jus præsentis Regis morte expiret, nec ad heredes ejus transeat, sed ad populi arbitrium redeat, non magis de tali regno testari poterit, quam privatus quisque de prædio, quod jure ususfructus tenet, vel etiam de ejusmo-

*De Imperatoris testamento.*

di bonis quorum dominium ad vitam possessoris restri-  
ctum. Quare frustra disquiritur, non an Imperator Ro-  
manus testamentum condere possit, quis enim hoc ipsi  
de bonis propriis, imo de provinciis suis hereditariis dene-  
garet, de quibus agendum erit inferius, sed an de ipso im-  
perio, ejusque bonis jus disponendi habeat? Utut enim  
per duo secula quasi in patrimonio domus Austriacæ fui-  
se videri poterat imperium, attamen cum in conditioni-  
bus, sub quibus habenæ imperii Imperatori nostro Sacra-  
tissimo commissæ sunt, quæque Capitulationis nomine  
vulgo veniunt art. 36. promiserit, se nullum consilium  
initurum, quo dignitatem Imperii suæ familie propriam  
ac hereditariam faciat, sed liberam & integrum Electori-  
bus eligendi potestatem permisurum, nihil agunt, qui  
per hæreditatem Imperium transferri statuere audent.  
Strauch. in *Diss. Exoter.* 4. th. 24. Accedit & hoc, quod inter-  
dicta potestate alienandi, etiam interdicta sit potestas te-  
standi. Jam vero omnē alienandi potestatem insciis & non  
consentientibus Electoribus interdicit *Capit. Leop. art.*  
*12.* Ex quo mox pro Imperatore testatuero cau-  
tela nascitur, ut si testamento successorem Imperii  
instituere vellet, hoc faciat Electorum consensu, quia  
quicquid ad alienationem illud quoque ad testamenti fa-  
ctionem omnino sufficiat. Quamvis hac cautela non o-  
pus esse censem, cum eadem facilitate Electores Regem  
Rom. futurum Imperii successorem eligere possent, qua  
in testamentum Imperatoris de successore disposituri  
consentirent; expeditum enim est, etiam vivo Impera-  
tore ab Electoribus successorem eligi posse. Vid. *Cap.*  
*Leop. art. 36.*

*De Regum*

§. VII. Alterum in Europa Regnum electitum exhib-  
et

bet Polonia, cuius Reges vijuramenti pariter adstringuntur, ne quicquam ex bonis Regni alienent, & hinc etiam, <sup>Polonia Te-</sup>  
<sup>stamentis.</sup> si testandi licentiam sibi sumerent, plane hoc irritum foret. Interim extat solenne exemplum Casimiri, Regis Poloniæ, de cuius dispositione, quid actum sit, lubet referre verbis Cromeri *inter Scriptores rerum Polonicar.* Tom. 2.  
 fol. 61. & 64. Casimirus testamentum condidit, quo multa multis cum satellitibus, tum notis filiis suis, plurima Cazimiro Stetinensis Pomeranorum Ducis, largitus est: Quodam etiam Gesnensi & Posnaniensi basilicis: Cracoviensi vero crucem illam insignem, quam Leopoli deportarat, cum inclusa portione ligni crucis Christi. Duabus vero filiabus e tertia uxore suscepitis, stragulam, vestem omnem ac dimidium aurea, argentea, & gemma suppellectilis: reliquum autem eiusdem suppellectilis matri earum uxori sua legavit: administrationemque, sive executionem testamenti Iohanni Strelio, cognomento Suchywilco, Decano Cracoviensi, & Cancellario Regni commisit. His rite peractis, sacris mysteriis de more procuratus Nonis Novembr. vitam cum morte commutavit. Ungarorum Rex Ludovicus, victus tandem precibus Oratorum, annuit, Bonifinius, audit a morte Casimiri Avunculi, statim eum ingenti delectu habito in Poloniam profectum esse, Regnumque testamento legatum Proceribus & Legatis populorum petuisse, & facile impetrasse scribit. Venientem Proceres Poloni cum frequenti Nobilitate ad Sandeciam obviam prægressi exciperere, & Cracoviam deduxere, ibi rursus armata civitatis occursu honorifice salutatus est, postero die rogatus publice a Iohanne Cancellario, ante testamentum Casimiri Regis ratum esse iuberet, præcipitanter assensus est, sed ab his, qui proximi de Senatu aderant, multum detrimenti eam rem Poloniæ

nix allaturam esse , propter profusas donationes & legata  
Cazimiri , & quod de fide quoque scripture testamenti dubi-  
taretur , ad Senatum ea de re per Wladislaum Oppoliensem  
Ducem retulit . Senatus porro , ne quem offendiceret , ceteras  
quidem omnes donationes valere , de ea vero , qua Scicinense  
Duci Siradiensis , Lenciciensis , quam post mortem Zemoviti  
avunculi sui Casimirus recuperaverat , ac Dobrinensis dicit ,  
itemque Arces Crosvicia , Bydgoszcia , Vulotovum , & Valcia  
cum suis territoriis donabantur , itemque de ea , que fiebat no-  
tibus filiis Casimiri apud terrestres judices , quos vocant , di-  
sceptandum esse censuit . Itaque Pelca Zambrus , Judex Sen-  
domiriensis & Vilcius Naborowius subjudex Cracoviensis , le-  
tti judices , re bene perspensa , decreverunt , eas donationes ir-  
ritas esse debere , quod non de sententia Senatus facta , val-  
de damno & essent Reipublica . Cui decreto Senatus rogatus  
a Rege subscribere noluit . Ex his apparet , etiam de regno  
ipso testandi vel legandi potestatem sibi sumississe Caſi-  
mirum ; Verum pariter inde manifestum est , approba-  
tum quidem fuisse ejus testamentum , quantum ad illa  
legata , quae allodium Regis concernebant ; quantum ve-  
ro ad terras vel provincias testamento legatas , dispo-  
sitionem illam irritam fuisse , nec successorem vi testa-  
menti , sed procerum populique consensu Regnum oc-  
cupasse ; ut adeo expeditum sit , nullam illic Regis dispo-  
sitionem de Regno sine procerum consensu sustineri .  
Imo vix procerum consensus sufficiet in successore de-  
nominando , nisi horum , quibus jus eligendi competit ,  
suffragium concurrat . Cum enim mortuo Rege in  
regno electio jus omne ad Remp. redeat , hujus etiam  
vivente Rege , si quicquam de successore statuendum  
fuerit , arbitrium erit .

§. VIII.

§. VIII. Patrimonialia vero regna quod attinet, absolutam de illis, seu inter vivos, seu per Testamentum disponendi potestatem Regibus faciunt, pariter quam si de alia re sui patrimonii disponere velint, de quo vid. *Grot. de J.B. & P. I. 1. c. 3. §. 12. & 13. & I. 2. c. 6. §. 3. Conring. de Finibus Imp. Germ. I. 2. c. 19. & Puffend. de J. N. & G. I. 7. c. 7. §. 11.* Verum, uti antiquorum Regnorum conditio ad nos non pertinet, ita si præsentem Europæ statum respiciam, ejusmodi regna Patrimonialia vix ostendi poterunt, ut ut enim hereditaria dentur, non tamen eodem sensu talia sunt, ut absolute de illis disponere liceat, sed sanguini ita cohærent, ut in extraneum nunquam transmittantur: unde etiam commodius ejusmodi generis regna dicuntur successiva sc. successione lineali sanguinis, quam hereditaria, licet usu invaluerit hæc Erb-Königreiche appellare.

§. IX. Quod itaque regna illa, in quibus jure sanguinis juxta lineæ gradusque proximitatem succeditur, attinet, certum est, hic pactis majorum cum regni proceribus initis ita prospectum esse posteris ex Regio sanguine descendantibus, ut ipsis paterna dispositione hoc jus adimi nequeat, adeo ut quamvis primogenitus, aut sanguine proximus testamento Regni successor denominetur, non tamen vi testamenti, sed jure proprio regnum obtineat. Vid. Dn. Ziegler. *ad Grot. de J. B. & P. I. 2. c. 7. §. 12.* Cujus rei hic effectus est, ut nec agnoscere teneatur dispositionem parentis, qua partem regni in aliud translatum cupivit; nam quod integrum lege Regni, aut pacto vel consuetudine proximo debetur, frustra testamento minuitur.

§. X. Ast, ut paucis Regna Europæ percurramus, De Regno de Gallia.

de Regno GALLIÆ jam olim afferuit Baldus in  
*Cap. un. de Feudo Marchie I. Feud. 14.* illud non jure here-  
 ditario, sed jure sanguinis, & Legis, seu consuetudinis  
 Regni deferri, in tantum, ut non a patre vel alio præ-  
 decessore, sed ex Lege Regni admittatur successor; Imo  
 in hoc eo restrictior est potestas Regum Galliæ, quod  
 hic sola successio agnatica, non autem cognatica obti-  
 neat, cum fœminæ penitus ab hujus Regni successione  
 excludantur. *Grot. de J. B. & P. I. 2. c. 7. §. 23.* Quod legi Sa-  
 licæ vulgo adscribitur. vid. Bodinus *de Republ. I. 6. c. 5. p.*

*Nec inter Principes sangvinis hic vales dispo-*  
*sitio.*

*m. 1137.* Solus itaque proximus ex sangvine Regis mascu-  
 lino ad Regni successionem admittitur, adeo ut inter  
 Principes quoque sangvinis, seu agnatos Rex neminem  
 alteri præferre possit. Molinæus *ad Confut. Parisiens. tit.*  
*I. §. 13. gloss. 3. in verb. Pour son droit d' ainéité, n. 9.* Hot-  
 tomann. *de Success. in Regno Francie I. 1.* & notabilia omni-  
 no sunt verba, quæ habet Bodinus *I. c.* quando ita inquit:  
*Id in regali sepultura magis fieri perspicuum. Etenim regie*  
*vestes, arma, sceptræ, stemmata sepulso Rege projiciuntur:*  
*deinde præco voce maximater ingeminans, Rex, inquit, mor-*  
*tuus est. Idem repente labarum, in quo stemmata liliorum*  
*genti propria signantur, erigens, Vivat Rex, inquit, eique*  
*vitam diuturnam ac felicem Deus largiatur;* Quid ergo si  
 masculi ex sangvine deficiant, numne sic Regi Galliæ  
 fas erit testamento per fœminas descendenter regni  
 successorem scribere? Respondeo, ne sic quidem, sed si  
 regno suo de successore prospicere cupiat ultimæ suo  
 elogio, hac cautione opus erit, ut Statuum Regni consen-  
 sus adhibeatur, quo ita non vi testamenti, sed liberæ ele-  
 ctionis succedatur. vid. Ziegler. *in Not. ad Grot. dict. loc.*  
*Quando itaque testamenta Regum Galliæ producuntur,*  
*quo-*

*Quid si Principes sangvinis deficiant.*

quorum etiam antea mentio facta in §. 5. hæc vel quoad bona allodialia , vel quoad formam regiminis tantum sustinentur: non enim dubito, circa modum regiminis posse Regem Principemque quicquam disponere; quippe si alias in jure nostro Parentes optimum consilium pro liberis capere censemur, L. 7. C. de Curat. Furios. de paterno Regis consilio tot annorum experimentis firmato idem dicendum erit, hanc filio successori sanctam esse debere; Quod si vero post mortem Regis rerum vicibus non leviter mutatis , appareat, minus proficuum fore praesenti rerum statui consilium defuncti Regis, non obstrictus erit successor, ut præcise insistat voluntati Patris, sed utilitatem publicam ejus dispositioni præferat, argumento illorum, quæ monuit Tryphoninus JCtus in L. utilitatem 10. ff. de Confirm. Tutor.

§. XI. De Testamento Regis Hispaniae supra jam De Testa-  
quædam tetigimus, & sane Regis ultimo defuncti Parenſ mento Regis  
pariter testandi licentiam ſibi sumſit, ut adeo quod paren- Hispanie.  
ti vitio non verſum, nec in filio teſtante reprobari poſſit:  
Præſertim cum nec avorum, nec abavorum teſtamen-  
ta in illo regno deſciant, videlicet Caroli V. Philip-  
pi II. & Philippi III. Verum cum non faſti, ſed juris quæſ-  
tio hic decidenda ſit, nullam de Regno Hispaniae teſtandi  
licentiam ſupererſte credo; Etenim & hic linealis ſucceſ-  
ſio latius patet, quam in Gallia, dum non tantum  
agnatorum, ſed & cognatorum in ſucceſſione Regni  
ratio habetur, nam & feminas ſic admitti conſtat. Gro-  
tius de Jure B. & P. lib. II. c. 7. §. 13. Interim tamen fas non  
eſt, jura ſanguinis hic violare, ac turbare lineas, proximi-  
tatisque gradus. Attenditur ergo in ſucceſſione Hispanica  
primo ad lineam ultimi poſſessoris, quæ omnino po-

C tior

tior reliquis est: Hac deficiente ad lineam proximam & ita porro fit progressus: Deinde in illa linea respectus habetur ad gradus proximitatem, & insimul ad sexum & ætatem, adeo ut si in eadem linea eodemque gradu concurrent masculus & foemina, ille potior sit: Si vero concurrent in eodem gradu & linea personæ diversi sexus & ætatis, major natu succedat, remoto minori & foemina, uti hunc succedendi ordinem pluribus confirmat Ludovicus de Molina de *Hispanorum Primogenitorum Origine & naturali.* l. c. 3. n. 13. § 14. Non quidem latet, separari solere Hispanorum regna, & in quibusdam majorem testandi libertatem defendi, quam in aliis, uti videre est ex Besold. *Polit. Lib. I. c. 6. pag. 219.* ut & Vincent. Cabot. *Diss. Juris Publ. Lib. I. c. 10.* Attamen his satisfecit Magnificus Academiæ nostræ Pro-Rector Dn. Buddeus in *Dissert. de Testamento unitate Caroli II. Hispaniae Regis cap. I. §. 30. seqq.* Nos hoc & principali tantum addimus, non amplius ad originem unitorum regnum speciatim respiciendum esse, postquam in unum corpus coaluerunt, quippe postea pari jure uniti corporis successio æstimatur, nec licebit de uno regno per testamentum disponere, de altero non. Unitum enim affimit naturam & privilegia illius, cui unitur. *Gl. in c. I. Verb. Uniendo X. de Sede Vacante.* Unio quippe facit, ut propria natura perdatur, & aliena assumatur Petr. de Perus. in *Tr. de Unione Eccles. c. 2. n. 8. Vers. ultra predicta.* Carpz. P. 3. C. 30. D. 12. n. 4. § 5. Quod in Regnis Hispaniarum eo validiori ratione procedit, postquam non nova hæc Regnum unio est, sed ultra duo secula jam continua, nec quicquam circa successionem linealem testamentis immutatum. Hinc ipse Carolus II. testator in §. 13. sui testamenti expressè hoc agnoscit his verbis, in nostrum

strum idioma translatis: Dass nach denen alten Gesetzen dieser Königreiche das Recht der Erbschaft auf den nächsten verwandten fallen solle. & postea §. 50. expressi fatetur, dass die Gesetze seiner Königreiche verbieten nichts von der Kron/ oder dero zugehörigen Herrschaften zu entfremden / unde luculent colligitur, nec testandi licentiam de aliquo Regnum Hispaniae superesse , sed regna semper Coronæ unita esse debere, adeo ut nec successor regni inter liberos illa dividere permisum sit, per claram dispositionem dicti testamenti §. 50. ut adeo speciatim de testamentis quoad singula regna disputare, otiosum sit.

§. XII. Non tamen sine insigni cautela ultimi Regis Hispania testamentum corroborandum censuit ejus conditor Cardinalis, dum sequenti clausula juribus & legibus Regni expresse derogatum voluit: Ich will / daß <sup>Qua caute- la Rex His- span. testa- mentum muniverit.</sup> dieses mein Testament ungeachtet aller Gesetzen/ Rechten/ Gemeinen und besondern Gebräuchen meiner gedachten Königreichen / Staaten und Herrschaften / so diesen meinem Thun entgegen seyn möchten/ soll vollzogen und erfüllt werden. Ferner will ich auch/ daß jede Sach oder Theil / so darin enthalten/ soll als ein Schluss/ der vor völliger Reichss- Versammlung mit reisser Überlegung beschlossen worden/ angesehen seyn/ ohne einige Hinderniss/ dann es ist mein Belieben/ daß diese meine Verordnung/ als die letztere/ alle andere Gesetze/ Rechte/ Freyheiten/ Gewohnheiten oder Verordnungen/ so diesem in einige Wege entgegen seyn möchten/ aufzheben und abthun solle. At vero quam parum proficiat hæc cautio, evidentius est, quam ut demonstratione quadam egeat. Etenim inter privatos decantata juris regula est: Neminem facere posse, ne leges in suo testamento valeant. *L. nemo ss. ff. de Leg. I.* quod si hoc ad testamenta Regum non pertinere dixeris, admitto, si de solennibus

nibus LL. civilium intellexeris: Nego, si LL. regni & pa-  
cta majorum supposueris. Potentiora enim haec sunt,  
quam ut Regum arbitrio subsint, cum nexus eorum ex i-  
pso Naturæ Gentiumque jure sit. Et quid tandem stabi-  
le foret in Republ. si ipse LL. quas fundamentales  
vocant, arbitrio Regis removeri, & his contrarium testa-  
mento statui possit? Fecit vero hoc Carolus in suo testa-  
mento, omnes regni leges removendo, quæ testamento  
obstatre poterant. Id vero plane insolens est in negotio,  
quod ad salutem totius regni pertinet, & sine Procerum  
consensu expediri nequit, adeo sibi disponendi potestatem  
arrogare, ut illa dispositio instar conclusi omnium Sta-  
tuum regni deliberato confilio initi reputari debeat, seu  
ut germanica versio habet: Es soll als ein Schluß der vor  
völliger Reichs Versammlung mit reisser Überlegung geschlos-  
sen worden/ angesehen werden. Si hoc enim Regi vel Prin-  
cipi liceret, semper in promptu foret cautela, defectum  
consensus regni Statuum supplendi. Evidem ratione  
subicit Carolus testator valde stringentem: Denn es ist mein Belieben / daß durch diese meine Verord-  
nung alle andere Gesetze / Rechte / Freyheiten und Verord-  
nungen aufgehoben seyn sollen. Adeo stat pro ratione vo-  
luntas, cum tamen ejus sit velle, qui potest nolle L. 3. ff. de  
R. J. & forte hic quadraret illud; Casum voluntatis com-  
prehendere casum impotentiae frustra enim id valere no-  
lo, quod tollere non possum.

*Ubi testa-  
mentum Re-  
gis valet tol-  
li hoc nequit  
a successore.*

§. XIII. Addo tandem & hoc contra vim & effectum  
testamenti illius Hispanici: Si Rex Hispan. facultatem  
habet, Regni successorem testamento constituendi, se-  
li hoc nequit  
quiritur, ejus dispositionem filio seu successori pro lege  
ha-

habendam , nec hunc contrario quodam testamento , voluntatem defuncti semel legitime conditam , imo etiam a successore approbatam , mutare posse . Nam frustra alias testamento de successore disposuisset , si jus huic illo defuncti elogio quæsumum pro lubitu immutari posset , nec pro lege a successore fer- vanda foret . Atqui vero Philippus IV. Rex , Pater Re- gis ultimo defuncti in suo testamento , quod *anno 1664. mensē Septembri* considerat , solemniter ita disposuit , ut filius Carolus II. omnium regionum & ditionum heres ex aſſe ſit , hoc autem mortuo filiam ſuam infantem he- redem ſcripſit : huic vero Imperatorem Romanum Leopoldum cum domo Austrīaca ſubſtituit , & poſt hanc , ſi heredes Austrīaci deficerent Ducem Sabaudiæ ad ſuc- ceſſionem vocavit ; Tandem ſi etiam ex Sabaudo defi- cerent heredes , filiæ ſua primogenitæ Galliæ Reginæ Mariae Theresiæ filium , ſoluto cum Rege Galliæ con- nubio , ex alio matrimonio ſuceptum ſuccellorem conſtituit , ipſo rege Galliæ ejusque posteris in perpetuum exclusis , cujus testamenti tenorem pluribus exhibet Diarium Europæum *Cont. 12. fol. 201. & 202.* Hoc itaque Philippi IV. teſtamentum , ſuppoſito Jure teſtandi Regum Hispanorum , aut vali- dum fuit , aut invalidum . Si illud , non potuit hoc con- trario teſtamento immutare filius , præfertim cum hoc teſtamentum toties approbaverit , & adhuc in ſuo teſtamento §. 50. ad illud tanquam validum provoca- verit . Si hoc , nec validum erit Caroli II. teſtamentum , & ab ea factæ ſubſtitutiones , cum non majorem teſtandi po- teſtatem habuerit , quam pater , qui nihil ſine approba-

tione & consensu Procerum Regni disposuerat, nec legitimā succedendi rationem legibus Regni probatam violaverat. Quod tamen fecit Carolus, notissimam Hispaniæ legem, omnes Gallos sine exceptione excludentem, negligendo.

*De Testam.  
Regis Portu-  
gallie.*

§. XIV. Sequitur Portugalliae Regnum, quod testamento transferri posse ea propter merito negamus, cum & ibidem per leges regni ordo succedendi determinatus sit, quas leges de Lamego appellant, quæ ipsæ cum ordinum regni suffragio latæ, nec sine eorum consensu mutari queunt. Vid. *Relation de la Cour de Portugal P.I.c.1.in fin.p.26.* Quare non erit in Regis potestate, per ultimam voluntatem huic ordini succedendi derogare: Hinc si tandem ex illo ordine nemo superfit, non nisi cum Procerum consensu successorem testamento Rex moriturus scribere potest.

*De Testam.  
Reg. Magne  
Britann.*

§. XV. Quod Magnæ Britanniæ Regnum attinet, & hoc eatenus hereditarium est, ut omnem progeniem regiam, sive masculinam, sive foemininam, more linealis successionis admittat, quod uti ex variis perspicuum est exemplis, ita quoque Parliamentorum conclusis illa succedendi ratio confirmata. Hoc vero ibi singulare, quod insuper etiam religionis habeatur ratio, & ea propter qui Pontificiorum sacris addictus, licet regiis natalibus ortus sit, à spe sceptrum Magnæ Britanniæ gubernandi arceatur. Hæc autem exclusio non per testamentum aliquod Regis fieri potuit, sed pragmatica sanctione Regis & Parlamenti opus fuit. Nec refragatur, huic conclusio, quod ita jus ex sanguine Regio quæsumum sine delicto auferatur successoribus Pontificiis, cum pro criminе reputandum non sit, ductu conscientiæ ab una religione

ne

ne ad aliam transire: Nam regero: Utilinealis successio Regis & Parlamenti consensu firmata, sic horum mutua conventione, urgente hoc salute Regni publica, illa limitari & ad certas personas restringi potuit; quatenus ergo hæc successio jam solemnitate restricta, eatenus non erit in potestate Regis, testamento suo vel successorem pontificium reducere, vel etiam proximo inter Evangelicos præjudicium ratione successionis inferre. Et hæc res solenni admodum exemplo non ita pridem comprobata, dum communi placito Wilhelmi III. Regis gloriosissimi & Parlamenti conclusum, ne quisquam ex Regio sanguine, qui Pontificiorum sacris addictus, vel etiam uxorem istius religionis sibi elegisset, ad Regni successionem ulla parte admitteretur, sed in perpetuum omni jure exclusus esset: Ne vero certus successor deficeret, mortua A N N A, præsente Regina, sine descendantibus, regnum Magnæ Britanniæ cum omni dignitate, titulis, Regalibus, Prærogativis, Jurisdictione & potestate plenaria Serenissimæ Principi SOPHIAE, Viduæ Electoris Hannoverani, ejusque descendantibus sine distinctione sexus juxta ordinem primogeniturae successio destinata, quod conclusum ipsi solennissima legatione publicatum. Integrum hoc placitum Parlamenta Rege confirmatum exhibit Autor des Monatlichen Staats-Spiegels Mens. Octobr. 1701. Nulla ergo in Anglia testandi licentia de Regno supereft. Eduard. Chamberlan. in Notit.

*Angl. P. i. c. 5.*

§. XVI. Regnum Sveciæ quod attinet, non desunt testa- De Testa-  
menta Regum, ad quæ quoad facultatē testandi provocare- memo Re-  
re solent. Nec enim ignotum est, subditos Regni Sveciæ gis Sveciæ.  
ideo Regis suo Sigismundo omnem fidem, subjectionem-  
que

que negasse, imperiumque abstulisse, quod inter alia contra regulam & præscriptum testamenti aviti, ab Evangelica religione ad Papistarum castra transiisset. *Vid. Resp. Svedica, p. 152. 156.* & porro sequenti p. 161. dicitur: Status Regni Svedici eundem se regentem & tutorem agnitos, si Carolus durante minorenitate Gustavi Adolphi vita defungeretur, quem ipsæ in ultima sua voluntate, non tamen exterum, sed ejusdem Regni indigenam, denominaverit. At vero inde non evincitur, liberum de regno testandi jus Regibus Sveciæ competuisse, cum expressè hic adjectum sit, Status Regni illum pro Rege agnitos, quem Sigismundo testamento nominaliter: Ergo non vi testamenti Regii, sed vi agnitionis Statuum scriptum successorem admittendum esse. Hoc enim generatim omnibus Regibus de successore disposituris præ cautela observandum, ut nihil faciant invitis Statibus. Alias enim tunc temporis certi juris fuit, regnum nec testamento, nec successione, sed populi arbitrio deferri. Joh. Loccen. de *LL. Provinc. Regni Svecie tit. 1. c. 3.* Ait Status Regni Svedici superiori seculo insignem passus est mutationem. Quippe anno 1624. in favorem Regis Gustavi Adolphi per consensum Regni Statuum filiae etiam ad successionem admissæ sunt. Verba Recess. in Comitiis Holmensibus d. 4. Dec. d. 4. facti, allegat Dn. Pfeffinger in *Vitriario Illusfr. Proxm. §. 10. lit. b.* ubi addit, sub Rege Carolo XI. anno 1680. absolutam potestatem a populo in Regem translatam esse, adeo ut Regi non amplius necessum sit, pendere ab arbitrio quinque Regni ministrorum, sed ipsi pro libitu disponendi licentiam quæstam esse, adeo ut & hic quidem salva maneat linealis successio; attamen si ex sangvine Regio nemo supersit, seu masculus

*Status Sveciæ bodierius.*

lus seu fœmina, ipse moribundus testamento regni successorem scribere possit, quem velit. Video autem Pfeffingerum in hoc fecutum esse Dn. ab Imhoff. qui paria refert in *Notitia Procer. Imp. I. 4. cap. I. §. 22.* Verum si evolvam ipsum tenorem conclusi Regni de anno 1680. prout eum exhibit *Theatrum Europæum Tom. XII. fol. 187.* hoc quidem ibi deprehendo, quod in eo absoluta potestate gaudeat Rex, ne amplius a Procerum regni arbitrio dependeat, a quo etiam *Anno 1660.* liberatus fuit Rex Daniæ, ut videre est ex eod. *Theatr. Europ. Tom. IX. fol. 96. & seqq.* Hoc quoque invenio in *Diario Europæo Contin. XLIII. in Append. p. 157.* Status Regni Svecici illos ipsos, qui testamentum Caroli Gustavi *Anno 1660.* pro injusto & legibus Regni adversante proclaimaverant, pro infamibus declarasse d. 19. Dec. 1682. ubi in fine in illorum sortem quoque relati, qui præsentis Regis actiones & dispositio-nes impugnare ausi fuerint; sed quod deficiente linea masculina & fœminina Rex pro lubitu inconsultis Ordinibus testamento suo successorem Regni scribere possit, haec tenus invenire non licuit. Hoc sane certum esse puto ex concluso Regni d. 27. Nov. 1682. quod, cum Rex successor bona Coronæ seu Domanialia ab antecessori-bus alienata libere revocare posset, non posse de his testa-mentum condi in præjudicium successoris.

§. XVII. Jam ad Daniæ regnum tranfeo; Nam & *De Testam.*  
hujus conditio nimirum quantum seculo superiori muta-*Regis Da-*  
ta, dum ex elecitio factum est successivum, seu heredi-tarium, ita ut masculis & fœminis hic pateat successio,  
qua de re vid. *Sr. Rdnigl. Maj. in Dennemarck Erb Be-*  
*lehnung bey vorgegangener Erb-Huldigung den 17. Oktobr.*  
*1660, in Diar. Europ. Continuat. IV. ibi: Demnach es dem Hbh-*

sten Gott gefallen dieses Königreich vermittelst aller Stände einhelligen Erklär- und Bewilligung Ihrer Königl. Maj. wie auch Dero Erben Männlicher und Weiblicher Linie als ein ewiges Erb-Königreich zu übergehen und aufzutragen. Quo ipso Regi Friderico III. tunc temporis solium tenantि absoluta potestas tributa , & equestri ordini illa, qua quondam pollebat, autoritas detracta. Vid. Dn. Puffend. in der Einleitung zur Staats-Historie c. 9. §. 9. Et hæc Regni Danici constitutio LEGIS REGIÆ nomen meruit, vi cuius & masculi & foeminae juxta ordinem in illa præscriptum regiæ dignitatis participes fiunt. Hic autem ordo, seu linealis successio, cum semel placuerit Regi & Regno universo, non erit in potestate Regis testamento eundem immutare ; Licet solenne Regi esse soleat, foeminas Regio sangvine cretas publico diplomate Regni capaces declarare. Illustre hujus rei exemplum occurrit in Serenissima, omnique foemineo decole ornatisima Principe, SOPHIA AMALIA, Duciissa Sleswig-Gottorpensi, Serenissimo Principi, D.N. AUGUSTO WILHELMO, Duci Brunsvicensi & Luneburgensi, Domino meo Clementissimo, nuptiali födere juncta, a Rege Christiano V. gloriose memoriae pro herede Regni, secundum dictum Legis Regiæ ordinem declarata, quod Diploma hic loci, cum haec tenus juris publici factum esse non meminerim, integrum inservisse, B.L. non ingratum fore spero, estque sequentis tenoris :

**C**HRISTIANUS QUINTUS DEI  
GRATIA REX Daniae, Norvegiae,  
Vandalorum Gothorumque Slesvici  
Holsatiæ, Stormariæ, ac Dithmarsiæ, Comes in  
Olden-

Oldenburg & Delmenhorst. Notum universis ac singulis facimus, Regalis sceptri Diadematisque fulgorem, quantumvis augusto propriæ Majestatis lumine radiantem, insigne tamen decus splendorisque incrementum capere, aucta Principis sobole, & in numerosos diffusa ramos Regnatricis familie stirpe, unde secura subditis umbra, Regnanti veneratio è longinquo & radiosius conspirantibus in unum tot velut sideribus, præfulgidi luminis jubar folioque tam multiplici fulto tibicine, firmitudo & duraturum robur conciliatur. Ergo & Divina favente clementia hæc Regnatrici nostræ familie decoris roborisqur illustris accessio facta est, quod nunc felici, fausto, fortunatoque omine in lucem prodierit SERENISSIMA Princeps Domina SOPHIA AMALIA nata genitaque hoc Anno die 10. Januarii, hora post meridiem quinta, ex Serenissima Principe Sorore nostra Charissima, Domina FRIDERICA AMALIA Principe hereditaria Daniae, Norvegiae, Wandalorum, Gothorumque, Duce Slesvici, Holsatiæ, Stormariae ac Dithmarsiæ, Comite in Oldenburg & Delmenhorst, quod quandoquidem Reverendissimus ac Serenissimus Princeps, Consanguineus Noster, Affinis ac Frater Charissimus Dominus CHRISTIANUS

STIANUS ALBERTUS, Hæres Norwegiæ, Postulatus Coadjutor Episcopatus Lubecensis, Dux Sleswici, Holsatiæ, Stormariae ac Dithmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst missus ad nos eam ob rem prædictæ Principis Sororis Nostræ charissimæ Aulæ Magistro Casparo Buchwaldt, rite indicandum curavit, hoc diplomate nostro id palam testari voluimus, ut omnibus singulisque simul innotesceret, prædictam Serenissimam Principem Dominam SOPHIAM A MALIAM, ceu nostra Regnatrice Stirpe genitam, capacem esse successionis hereditatisque Regnorum Daniae, Norwegiæ, ditionumque nostrarum omnium, secundum ordinem modumque, quo cerni hanc hereditatem LEX REGIA jubet; Largientes insuper, concedentesque ipsi gloriosum HÆREDIS DANIÆ, NORWEGIÆ titulum primo loco & ordine ante cæteros ipsius titulos collocandum, quorum illustrem capiti ejus circumfusam coronam etiam hac præfulgida gemma ornatam illustratamque voluimus, eo libentius confidentiusque, quo certiores sumus, fore, ut, cum adulta illam ætas excepit, hoc ipso admoneatur debiti NOBIS successoribusque DANIÆ, NORWEGIÆ REGIBUS amoris, officii, nexusque, quo sanguis

guis nascendi origo communisque aliquando hæreditatis spes, & quicquid denique inter mortales sacro sanctorum haberi solet, Regio nostro stemmati indissolubili illam nodo implicuere, ne versa in propria velut viscera manu, cum hostiis nostris arma consiliave jungat, sed horum REGNUM, ceu pertinentis etiam ad se, ex LEGIS REGIAE præscripto, hereditatis commodum ac emolumenatum omni potius ope ac opera augere allaboret. In quorum fidem atque testimonium hasce nostras patentes literas manu nostra subscriptas, Regio nostro sigillo muniri jussimus. Dabantur in Arce nostra Regia, Hafniæ, die 30. mensis Maij. Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo, Regni nostri primo.

§. XVII. Jam ad Principes Imperii progredior, de quibus hic potissimum agere mihi propositum est. De horum vero auctoritate, quam vi superioritatis territorialis tenent, hic quicquam præmittere operæ pretium non est, ubi de solo jure testandi agimus, quod cum civibus Imperii Romano-Germanici in universum competit, frustra quoad Imperii Principes, quamvis appanagiati sint, in dubium vocatur, licet alia quæstio sit, an ad æqualem cum privatis solennium observantiam adstringantur, de quo postea. Quantum itaque ad personas Principum pertinet; hoc tantum hic in-

*De Principe  
Imperii te-  
stante.*

D 3

qui-

*An filius  
Principis  
non obstante  
Patria poter-  
tate testari  
possi?*

*Negativa  
defenditur.*

quirendum, an eadem impedimenta, quæ privatis, testamenti factionem admunt, etiam Principi testaturo resistant? Quapropter quæritur, an filius Principis in sacris paternis adhuc constitutus gaudeat testamenti factione? Privatorum filii hoc denegari constat ex L. 6. pr. ff. qui test. fac. poss. de quo videatur Dn. Præses in Disp. De testari prohibitis §. 24. Sed quantum ad Principum filios, contrarium asserere videtur Dn. Schilte-  
rus Inß. J. Publ. lib. 2. tit. 8. §. 1. juxta quem, Juris Romani regula, qua paterfamilias per liberos in potestate constitutos regulariter acquirit, jure nostro publico non recepta est, sed filii familias & filiæfamilias sibi ac-  
quirunt; quia patria potestas in familiis illustribus Germanorum non juris illius, quod proprium Quiritium est, sed Gentium ac Naturæ. Verum contrariam sententiam, & quod filius Principis vivo patre testamenti condendi facultate destituatur, amplectitur Dn. ab Eyb-  
en. Disp. de testam. Princ. c. 1. §. 13. ubi dicit, se causam non perspicere, quare nec etiam in testamentis condendi jure communi utendum sit minori, sive impuberi Principi, filiove familias. Evidem pergit, si hodie, quæ nonnullis placuit opinio, Patriæ potestatis nulli su-  
persunt effectus, utique & ad Principes in sacris paternis constitutos hujus desuetudinis vis redire deberet. Verum quam intutæ fragilitatis multum habeat isthæc traditio, alibi semet fusi siccissime testatur. Imprimis vero provocat ad Disp. 3. ad Inß. ubi præjudiciis Came-  
ralibus & aliis firmavit, illustres filios familias, non nisi intercedente emancipatione consequi potuisse, ut par-  
trum familias loco haberentur. Si vero quis hac de re dubitare amplius vellet, unicum exemplum Joannis

Fri-

Friderici, Electoris Saxoniæ sufficeret, qui restitutus est expresse ad patriam potestatem a Carolo V. d. 22. Aug. 1552. per verba: Wie wir dann Ew. Liebden hemmt zur Väterlichen Gewalt über ihre Kinder sc. vid. Hortled. de caus boll. Germ. l. 3. c. 88. it. Dn. de Rhetz. Inß. j. P. I. 1. tit. 20. §. i. Ex quo casu insuper appetat, si quis ex filiis Johannis Friderici interim condidisset testamentum, hoc facta restitutione quoad patriam potestatem irritum futurum fuisset. Memini equidem, quod Limneus de Jure Publ. l. 4. c. 8. n. 178. Principum testamenta jure militari subsistere censeat, quo supposito etiam filius Principis sine consensu patris libere testari posset, sicut hoc filio privati de peculio castrensi permisum est. L. fin. C. qui testam. fac. poss. L. fin. C. de inoffic. Testam. Verum, quia hoc beneficium, non nisi actu militanti, indultum, non aliter etiam filii Principum tribuendum, quam si actu castra sequantur.

§. XIX. Verum an non cautelæ loco Principum *Quid si* filii suppeditari poterit, ut consensum patris ad testam-  
menti factionem impetrant? In privatis hunc consen-  
sum non sufficere, expeditijuris est ob dict. L. 6. pr. ff. qui  
*test. fac. poss. pr. f. quib. non est permis. test. fac.* Cujus hæc  
ratio, cum in potestate Patris non sit, supplere illa, quæ  
jure publico ad testamenti factionem requiruntur. At  
vero hæc ratio non resistit patri Principi, quo minus in  
filio hunc defetum suo consensu supplere posit; est e-  
nim hoc impedimentum mere civile, quod Princeps vi  
superioritatis, cum patria potestate juncta, facile tollere  
poterit, præsertim cum hic nullius magis, quam ipsius  
Principis parentis, subsit præjudicium.

## §. XX.

CAP. I. DE DIVERSITATE

32

*De Principe  
bannito.*

§. XX. De Principibus banno Imperiali affectis , si de cetero requisita , quæ ad bannum Imperii legitime infligendum exigit Capitulatio Cæsarea *Art. 28.* observata fuerint, non dubium esse puto, hos testamentum condere non posse, Illustr. Dn. de Rhetz *de Jure Publ. l. 2. tit.* 36. §. 2. cuius ratio evidens est, cum omnium jurium Imperii incapax factus sit. Gail. *de Pace publ. l. 2. t. 12. n. 5.* Dn. Praes *Disp. de testari prohibitis §. 51.* Si ergo nihilominus testamentum condere velit, vel absolutio a banno petenda, vel ad testamenti factionem restituendus erit ab Imperatore: De bonis autem extra imperium fitis , cum eo usque se bannum non extendat, pristina testandi libertate, si aliud impedimentum non obstat, gaudebit.

*De etate  
Principis te-  
stantis.*

§. XXI. Quod ætatem Principum Imperii testantiam attinet, non dubito, hos ante adeptam pubertatem testari non posse, quia etiam in Principibus iniquum est, hac tenera ætate sibi licentiam sumere , propinquis nocendi , & his propriam substancialm subtrahendi, juxta *L. fin. C. de testam. Milit.* Termini enim ætatis jure nostro præfiniti etiam ad Principes pertinent, Dn. de Rhetz *cit. loc. §. 1.* hinc eti puberes sint, contrahere tamen nequeunt sine Curatore, nisi veniam ætatis ab Imperatore impetraverint , quod pluribus exemplis jam demonstravit Myllerus *in Etiologia Principum Imperii. c. 3.* Hoc vero plus dubii habet, an Principibus junioribus , antequam capaces fiant Regiminis, libere testari liceat? e.g. an filius Electoris, qui anno demum decimo octavo Electoratum suscipere potest, per *A. B. c. 7.* anno ætatis decimo sexto testari valeat? Vulgo enim dicunt ; Tutelam Principis Electoralis durare usque ad annum decimum octavum, quod & tutelis diversorum Regum applicant. Verum lufus

*An ante ade-  
ptum Regi-  
men testari  
possint.*

Ius hic in vocabulo tutela subest: Ut enim moribus Germaniae, adepta licet pubertate, tutela tacite continuatur, licet in effectu curatela sit; ita eodem modo se res habet cum tute Electorali, vel alterius Principis, qui post annum decimum quartum revera tantum curator est. Horum cura autem, uti non impedit testandi facultatem, ita cursoris consensus impune sperni potest. Interim separanda hic puto illa, quae ad patrimonium Principis privatum, & quae ad ipsum Principatum ejusque administrationem pertinent. De illis testamento disponere poterit, non de his, ob impeditam per LL. publicas Electoratus, vel Principatus administrationem. Nec obest, quod tamen minores privati testari possint, ut bona sua sine cursorum consensu administrare non valeant: Notum enim est, minoribus invitis jure nostro non dari curatores, sed illos adepta pubertate sui juris fieri, aut in suam tutelam pervenire; quod commode dici nequit de Principum Electorumque filiis, lege publica ab administratione Principatus exclusis.

§. XXII. Quod attinet Conjugem Principis, non dubito, jus testandi habere, quantum ad illa bona, quae vi patitorum dotalium Principis mariti lucro non cedunt: Sicut enim Conjuges privatijus per pacta dotalia sibi testamento adimere nequeunt, modo pacta in vim contrahit & non ultimæ voluntatis concepta sint. Kohl *de Paf.*  
*dotal. Part. 1. n. 1. seqq. & P. 2. n. 77.* Berlich. *part. 2. Concl.*  
*51.* ita quoque nec Principibus hoc licebit, cum horum pacta exuberantiori fide polleant, de quo pluribus egit Mylerus ab Ehrenbach in *Nomolog. Princip. Imperii c. 1. §. 2. seqq.* Verum an sine omni solennitate testari possint *An fine so-*  
*uxores Principum, controvertunt Dd. Affirmativam lennitatem &c.*

E tue-

*flari pos-  
sit?*

tuetur Mylerus *de Statib. Imperii part. I. c. 26. §. 8.* cum hæc corruscat radiis mariti Principis, & per participationem juris maritalis eodem privilegio potiatur. *arg. I. princeps 31. ff. de LL. L. fiscus 6. §. 1. ff. de jur. fisci.* Conf. B. Dn. Fritsch *Tr. de Augusta c. 8. n. 6.* quod jus etiam filiabus Principum adscribit Besoldus in Conf. Tüb.*iso. num. 7.* Verum nondum evictum est, Principem Imperii sine LL. solennitate testari posse, quod capite sequenti indagandum erit: Et si tandem hoc ita esset, non tamen mox etiam ipsa uxor liberanda foret LL. solennibus, cum ipsa superioritatis territorialis particeps facta dici nequeat. Et notanter dicitur in *dict. L. princeps 31. ff. de LL.* non quod particeps sit uxor juris principalis, sed quod Principes uxoribus idem privilegium tribuere soleant, quod ipsi habent; quæ communicatio in facto consistit, & hinc non præsumitur, nisi probetur. Unde uxores Principum non facile solennitates omittere, testatur idem Fritsch. *d. l. n. 8.* Et si tandem illarum testamenta minus solennia deprehendantur, illa plerumque inter liberos, vel personas familiares conditæ sunt, quo casu, & jure communi solennia inter privatos cessare expeditum est per *Nuv.*

*107. c. 1.*

*An Princeps  
per alium  
condere pos-  
sit testamen-  
tum?*

*§. XXIII.* Restat ut videamus, annon Princeps per alium condere possit testamentum, huic committendo, ut de Principatu, quo usq; de hoc testari fas est, deque futuro regimine, ita disponat, prout ipse consultum bcnō publico hoc existimaverit, se enim fiduciam de ipso habere, quod pro illa, qua pollet dexteritate & negotiorum publicorum peritia prudentissime posteritati consulturus sit, quod forte factum esse in nupero testamento Hispanico prætendi posset. Verum cum testamenti facti-

onem

onem in alterius conferre arbitriū non respiciat solennia, sed ipsam essentiam testamenti: Testamentum enim est ultima voluntatis *nostre* sententia, de eo, quod post mortem nostram fieri volumus. *L. 1. ff. de Testam.* Secundo etiam expediti juris sit, testamenti factionem per procuratorem, seu mandatarium ipso jure esse interdictam, *L. 32. ff. de hered. instit.* *L. 52. ff. de condition.* & demonst. facile elucescit, nec Princi<sup>p</sup> hoc permittendum esse, utpote de cuius propria & enixa voluntate quam maxime certum esse oportet successorem. Nec obstat, quod quis per aliū facit, ipse hoc censeatur fecisse, & quod hæc sit voluntas alicujus ultima, si non specifica, h. e. quoad omnia testamento expressa, tamen generica, seu in quantum ratum habemus illud, quod procurator noster egit. Nam hæc procedunt tantum, ubi tercia persona nomine nostro intervenire potest, non vero in tali negotio, ubi propter regravitatem, ad evitandas omnes fraudes, & ad maiorem certitudinem, voluntatis nostræ exacta declaratio requiritur, de quo pluribus egit, & hanc sententiam prolixe comprobavit Dn. Eyben. *de Testam. Princip. §. XII.* Quod si tamen faciem rerum respiciamus, apparebit, omnia fere Principū testamenta a quodam ex consiliariis, cui hoc Princeps committit, conscribi solere, quæ ea tam propter non impugnatur. Verum salva res est. Quippe toto cœlo differunt, alterius voluntati memet in testando submittere, & meam voluntatē alterique plenius in forma solenni exprimatur, aperire. Hic voluntas Principis propria manet, licet alterius calamo, mentem prolixius exprimente, utatur. Nam & inter privatos quotidianum est, ut Notarium, vel alium hujus rei peritum ad testamenti conscriptionem adhibeant, cui voluntatem

*Principes  
plerumque  
hoc alii  
committunt.*

36 CAP. I. DE DIVERSIT. PRINCIP. TESTANTIUM.

prius manifestarunt. Deinde etiam vitium hoc tolleretur, si dispositio ab altero conscripta postea perlegatur, approbetur, & subscribatur; Ita enim non amplius aliena, sed mea voluntas erit.

*An Princeps de uxoris bo-*  
*nis bac vo-*  
*lente testari*  
*possit?*

§. XXIV. Et hoc sensu omnino recte defenduntur testamenta Conjugum, quando uxor Principis consentit, ut maritus simul de suis bonis disponat; de quo casu pluribus videatur Carpz. P. 3. C. 2 d. 13. Berlich. p. 2. Dec. 92. n. 6. Et quamvis adhuc istiusmodi testamentis ex eo graviter contradicat Dn. Eyben *cit. loc.* quod hac ratione testamenta fiant immutabilia contra indolem suam ordinariam L. 4. ff. *de adim. Legat.* Attamen non hoc inde consequitur. Dum enim alteri concedo facultatem de bonis meis testandi, & ita per mandatarium expedio, quod ipse expedire debebam, hoc non majoris efficaciam esse poterit, quam si idem actus a me ipso expeditus fuisset; nullibi enim haec tenus audita est regula: Illud, quod quis per alium facit, fortius stringere, quam si ipse hoc fecisset. Sicut ergo uxor Principis, si ipsa cum marito in eadem charta testetur reciproce, jus revocandi testamentum habet etiam mortuo jam marito. Carpz. P. 3. C. 7. D. 21. Heigius Part. I. Qu. 23. n. 37. Peck. *de Test. Conj. lib. 1. c. 43. n. 1.* cum testamentum reciprocum re vera duplex sit, Consil. Argentoratens. Vol. 3. Resp. 148. Gail. I. 2. obf. 117. n. 2. Non video rationem, quare deneganda sit testamenti revocatio uxori Principis, quae marito consenit, ut de bonis suis testetur. De quo pluribus egit Dn. Praes Disp. *de Mutat. & Conservat. ult. volunt. c. 1. §. 19. seqq.*

CAP. II.

( 37 )

CAP. II.

De

SOLENNITATIBUS A PRIN-  
CIPE TESTANTE OBSERVANDIS.

§. I.

Tanseundum jam est ad formam, seu solennitatem a Principe testaturo observandam : Est *flamento*-  
enim testamentorum ea indoles, ut si forma ad *rum alia ex-*  
*amussum observata non sit, omnis corruat di-*  
*terna, alia*  
*spositio, arg. L. Si unus 12. C. de Testam. junct. L. non dubium interna.*

*S. C. de LL.* Forma autem testamentorum alia externa  
est, quæ in solennitatibus illis a jure præscriptis consi-  
stit: Alia interna, quæ ipsam heredis institutionem re-  
spicit; De utraque hic agendum.

§. II. Quod formam externam attinet, distingui *Testam. alia*  
solent testamenta in publica & privata; Et hæc iterum *publica, alia*  
in solennia, & minus solennia, seu privilegiata. Hæc  
si ad Principes Imperii applicemus, nemo in dubium  
vocabit, omnem illum sine solennibus testandi modum,  
qui privatim indulitus, Principibus Imperii eo magis  
competere, quo majori libertate & eminentia gaudent.

Quapropter si Princeps Imperii testamentum suum *Valet Testa-*  
vel ipsi Imperatori, vel judicio ejus aulico offerat, sine *mentum*  
dubio subsistet, quamvis nulli testes intervenerint per *Imp. obla-*  
*L. Omnia 19. C. de Testam.* & idem quoque obtinebit, si *tum.*  
Cameræ Imperiali illud offerat, urpote quæ ipsum Im-  
peratorem & Imperii Status repræsentat.

§. III. Cum autem testamenti insinuatio sit actus *Vel Magi-*  
voluntariæ jurisdictionis, *Mev. ad Jus Lub. L. 2. Art. 2. n. statui infe-*  
*104. Berlich. P. 3. Concl. 4. n. 42.* & hinc etiam coram incom-  
prio.

petente Judice expediri possit, per d. L. omnium 19. ibi; cu-juscung, judicis C. de Testam. ut hinc nihil interfit, an major ille sit, an minor magistratus, cui testamentum offer-tur. Berlich. d. Conclus. 4. n. 43. Carpz. P. 3. C. 3. D. 13. n. 5. Sustinebitur etiam Principis testamentum, si illud ju-dicio alterius Principis, vel etiam Magistratus oppida-ni insinuet; non enim hic eminentia personæ insinu-antis, sed jurisdictio generatim considerata illius, cui insinuatur, attenditur, an jus conficiendorum actorum habeat, quo & Magistratus municipalis gaudet. L. 2. C. de Magistr. Municip. Imo etiam Principem coram suo ju-dicio vel Cancellaria testari valide posse, eo minus du-bium est, cum & Nobilibus, aliisve privatis jurisdictio-num Dominis, coram suo judicio hoc permissum sit. Finkelthaus. observ. 75. Carpz. P. 3. C. 3. D. 21. n. 2. Hartm. Pift. Part. 3. Qu. 28. Insuper etiam quoad Principes pra-xis haec Cancellariae suæ testamentum offerendi satis nota est.

*An princeps  
ipse testa-  
mentum in-  
sinuare pos-  
sit?*

§. IV. An autem Principi pro cautela incumbat, ut ipse testamentum Imperatori offerat, an vero hoc per literas supplices, aut procuratorem expedire possit, non adeo expeditum. Non pauci sunt, qui absolute neces-sarium existimant, ut testator ipse testamentum Princi-pi offerat, Besold. P. 3. Consil. 230. n. 10. Manz. de Testam. Tit. 4. n. 84. qv. 1. Verum cum nulla lex Imperii adsit, quæ testatorem privatum ad hoc constringat, uti probat Tabor, Tr. de Testam. Principi oblatu c. 5. tb. 10. potius d. L. 19. testamenti per preces, aut supplicationem oblati mentionem faciat, nulla ratio est, quæ Principem strin-gere possit, ut ipse in persona testamentum Imperatori, aut actis alterius judicij insinuet, sed sufficit, si hoc vel per

per literas, vel per personas fide<sup>e</sup>dignas expediatur; Et hoc casu consultum est, ut in calce testamenti hoc exprimat Princeps testator: Und haben Wir zu mehrer Festhaltung dieses Unsern letztern Willens Thro Römische Kayserl. Majestät / (vel in simili bei Thro Kayserl. Maj. und des Heil. Reichs Camer-Gericht) wohl verschlossen und versiegelt durch Unsern dazu bevollmächtigten Rath N.N. insinuiren lassen/ ita enim de voluntate insinuandi, de mando & certitudine personæ insinuantis liquido constabit.

S. V. Porro sustinebitur testamentum Principis a- *De Principe militante.*  
 Etu militantis sine omni alia solennitate; Nam quod privatis militantibus indulatum, non denegandum est. Principibus, qui pro libertate sui Principatus, vel Imperii vitam fortiter exponit. Quod si vero alias jure militari condere elogium velint, juris communis assistentia destituuntur, utpote quod non eo respicit, an quis ulla modo jure militum gaudeat, sed an periculis militaribus actu expositus sit: cessante enim periculo, cef-sabit jus minus solenniter testandi, etiam in milite stationario. *arg. L. penult. C. de Testam. Milit. Barry de succession. l.l. tit. s. n.s.* Princeps ergo extrahellum constitutus, frustra ex jure militum sine solennibus testandi facultatem prætendet. Hinc insimul colligi poterit, quantum roboris tribuendum clausulæ testamentum, si ut *Valcat testamentum* solenne subsistere non possit, valere debere jure militari, qua in suo testamento usus est Fridericus Wilhel-mus, Dux Saxonie, *Anno 1668.* testamentum suum hac formula concludendo: *Dasperne aber dieser unsere Disposition nicht als ein zierlicher letzter Wille / oder testamentum apud acta, vel judiciale mbdte gelten und frässtig seyn/ sondern iho/ oder künftig einigen Mangel oder Gez.*

Gebrechen haben solte/ deßen wir uns gleichwohl nicht versehen/ so wollen Wir/ daß es gelten solle jure publico, militari, privilegio Principum, oder als ein Codicill, Donatio M.C. oder andere Übergabe/ so aus freyen Willen geschicht/ oder als eine andere Disposition und Ordnung letzten Willens/ so von Tode wegen zu recht beständig ist/ seyn kan oder mag. teste Dn. Schiltero *Inst. Jur. Publ. l.2. tit.9. §.3.* Si enim in potestate testatoris foret, sola hac clausula testamentum suum, quod extra militiam condidit, reducere ad statum testamenti militaris, solennitates LL. facile eludi posse. Tunc vero effectus hujus clausulae foret maximus, si forte Princeps in castris solenniter testaturus quicquam ex ordinariis solennibus negligat, ubi, etiam si ne quidem requisita codicillorum adessent, vi dictæ clausulae testamentum jure militari sustineri posset.

*Princeps inter liberos & subditos disponit sine solennibus.*

§. VI. Reliquas testamentorum privilegiatorum species ut percurram, ea propter otiosum est, quia quod privato circa solennia in certis testamentorum generibus remissum, a Principe exigi non poterit, si hic idem testandi genus eligat. Quapropter tantum remanet disquisitio de testamentis ordinariis, an in his Princeps Imperii a solennibus juris communis liberatus fit? Ubi separandi casus erunt, an Princeps testetur inter liberos, vel alios sibi subiectos; an inter extraneos, alium forte Principem Imperii heredem scribendo, aut illi quicquam legando. Priori casu non opus erit, solennia LL. Civilium attendere, sed sufficit, modo Principis testatoris dispositio scripta, aut nuncupativa per duos testes probata, adsit. Et hoc quidem, quantum ad liberos expeditum est, cum hic Parentibus in universum omnibus illa libertas concessa sit, sola sua scriptura testandi, sine ullo alio teste

*ste Nov. 107. c. 1. Autb. Quod sine C. de testam.* Idem vero illi & inter etiam, si Princeps inter alios sibi subiectos testetur, di-subditos. cendum ex istimo: Ut ut enim hi intuitu liberorum pro extraneis habeantur, quoad hos vero non valeat dispositio inter liberos, nisi testes accesserint, sed si quid sine testibus his legarum fuerit, hoc pro non scripto habetur, & liberis accrescit *L. fin. C. fam. hercisc. L. 21. §. ex imperfetto C. de testam.* Gratian. *Discept. forens. c. 219. n. 14.* Brunne-man. *Vol. 2. Confil. 1. n. 197.* Attamen cum Princeps pater patriæ sit, quem omnes, qui ipsius imperium agnoscunt, pro patre venerantur, non video rationem, quare, quod patri vulgari LL. civiles indulserunt, patri patriæ denegandum esset. Omnis enim ratio, quare dispositio paterna sine solennibus subsistat, in reverentia patri debita consistit; hanc vero magis adhuc patri patriæ deberi nemo negabit, quo argumento a patre vulgari ad patrem patriæ usus est Imperator *§. 4. fin. f. quib. mod. Patr. pot. solv.* Et hujus generis omnia illa sunt testamenta Principum Imperii, quæ sine solennibus condita producuntur.

*g. VII. Quod autem testamentum posterioris gene-* *Quid si in-*  
*ris attinet, in quo extraneus heres scribitur, in diversa o-* *ter extra-*  
*mnia abeunt Dd.* Qui Principem hic a solennibus testa-*neos teste-*  
*mentorum liberat, his potissimum utuntur argumen-* *tur?*  
*tis. (1.) Quia ipse Imperator LL. solennibus solutus est Rationes pro*  
*L. 31. ff. de LL.* adeo ut nec hinc donationem immodicam *negativa.*

insinuare teneatur. *L. penult. C. de Donat. inter Vir.*

*& Ux. L. 34. & 36. §. 1. C. de Donat.* Status au-tem Imperii per famosam juris publici regulam, vi superioritatis idem possunt in suo territorio, quod Imperator in Imperio; quod materiae testamentorum in specie

## CAP. II. DE SOLENNITATIBUS

plicat Besold. *Part. 6. Consil. 272.* (2.) Quod jure militum quam maxime frui debeant Principes, utpote qui jus belli & pacis exercent *Instr. Pac. Art. 8.* §. gaudeant. Quod ergo militi privato permisum, ut sine solennibus testetur, nulla ratione denegandum videtur Principibus, præsertim cum (3.) Principes Imp. potestatem habeant juris communis solennitates in suis territoriis abrogandi, & modum testandi minus solennem introducendi, prout hoc in Saxonia inter rusticos receptum. (4.) Adducuntur hunc in finem exempla testamentorum minus solennium, sicut in specie Caroli Austriaci, Marchionis Burgaviensis, licet testibus plane destitutum fuerit, pro valido pronunciarunt Jcti Tübingenses apud Besold. *Consil. Tübinger. 150. n. 24.* Quam sententiam uberioris defendunt Mylerus ab Ehrenbach de *Statib. & Princip. Imp. c. 26.* Tabor ad L. 19. C. de *Testam. c. 8. p. 601.* Dn. Schilter. *jurisprud. publ. l. 2. tit. 9. §. 2.*

*Rationes pro affirmativa.* §. VIII. Verum non defunt rationes in contrarium, quas cum ordine jam adduxerit & contrariis satisficerit Dn. ab Eyben *Disp. de Test. Princip. vel Com. Imp. §. XIX. & seq.* illa hic ordine recensere necessarium non erit, sed modo unicum pro posteriori sententia fundamenti loco adducam, scil. Principes Imperii unius Reipubl. membra esse, & hinc sub uno Imperante iisdem LL. obstringi, juxta quas causæ ipsorum in summis Imperii tribunalibus cognoscuntur & judicantur, quibus summis Imp. judiciis, qui præsunt, vel assident, solenni jure jurando constringuntur, se in causis illuc delatis sine ullo personarum respectu secundum jura Imperii communia pronunciare velle: Si itaque causa testamentaria Principum in quæstionem ibi veniat, non poterunt vi jura men-

menti, quod non ex solius Imperatoris, sed omnium Imperii Statuum placito & præscripto præstiterunt, aliter pronunciare, quam testamentum hoc ob defetum solennium esse injustum, & hoc pertinet certissimum juris Publ. regula: Quod Principes inter se utantur jure privatorum. Imo non vereor dicere; Principes *Jus civile magis ad strictos esse inter se ad observantium juris magis stric-* communis, quam quidem privatus Imperii civis. Vix *gir Princip.* enim provincia datur, quæ suis non gaudeat statutis, *Imp. quam privatos.* juxta quæ illorum causæ deciduntur: At vero hæc statuta vim non extendunt ad Principem statuentem, multo minus exceptionem præbere poterunt Principi cum alio contrahenti vel testanti, si dicere vellet: Es ist in unsern Landen nicht gebräuchlich / oder es ist ein anders durch die Landes Constitutiones eingeführet. Quid enim hæc ad Principem extraneum? Unde facile concedo, posse Principem Imperii in suo territorio generali constitutione introducere, ut testamenta suorum subditorum omnia valeant sine solennibus; verum se ipsum nexus juris Civilis eximere nequit, statuendo, ne suum testamentum solennitatibus destitutum a quoquam impugnetur. Ut ut enim jus Romanum integrum facili negotio abrogari posset in Imperio cum omnibus suis solennibus, cum tantum ex voluntaria receptione valeat; non tamen in unius Principis arbitrio erit, jure ab omnibus Imperii Statibus recepto, & in specie, quantum ad solennia testamentaria in publicis Imperii Comitiis *de Anno 1512.* unanimiter probato per verba: Aus Kaiserl. Macht mit Rath Unser und des Heil. Reichs Chur-Fürsten/ Fürsten und andern Ständen/ so ist auf dem gehaltenen Reichs Tag versamlet gewesen sind/ hiemit bestätigen

tigen / confirmiren und approbiren / repudium dare & se  
ab hujus juris nexu liberare. Conf. Dn. Præses Tr. de  
Caut. Testam. c. 2. §. 6.

*Observantia  
priori sen-  
tentiæ.  
fragatur.*

§. IX. Quibus suppositis facile corrunt, quæ in contrarium urgeri solent, præsertim cum nec praxi Imperii, nec judiciorum placitis congruat. Confilium enim Tübingense responsum tantum est, non judiciale decisum, inde tanquam præjudicium allegari nequit. Et sane, cum observantia in Imperio quam maxime legem faciat, a qua non facile discedendum, utpote quæ dominari dicunt omnibus tam viventium, quam morientium actibus, Pruckmann Vol. 1. Conf. 38. n. 9. & nostrum hic propositum sit, ostendere, quid Principibus testaturis caute observandum sit, ne litibus posteritatem involvant, merito posterior sententia præferenda & urgenda. De Praxi autem itate testatur in controversiis Principum Germaniæ veritatis simus J. C. Henric. a Rosenthal de Feud. c. 12. conclus. 10. n. 15. quando ita scribit: *Purima testamenta Electorum, Ducum, Principum ac Comitum Germanorum legi & vidi, in quibus testamentorum solemnitates sollicite admodum & solemniter fuerant observatae, nullum, in quo omisso, & sic ipse testanribus saepius prescripsi.* Accedit huic judicium magni J. C. Dn. David. Mevii, qui ad Jus. Lub. P. 2. Tit. 1. Art. 2. n. 69. ita dicit: *Insignes Prætici haud tutum esse dicunt, ut Principes ex communite stan- di formula aliquid negligant.* Monent hanc sequi, & eos sectatos esse usū docent; & turius & cautius facturos Principes inferiores, si in testamentis suis juris solemnitates observent, monet etiam Besold. de Reg. Success. diss. 2. n. 1. Eandemque sententiam tuerunt Knipfchild. de Fideicom. Fam. Nob. c. 16. n. 19. & seqq. Klock. Vol. 3. Conf. 162. n. 74 & seqq. Dn. Coccejus Disp. de Testam. Princip. Sect. 2. §. 6.

§. X.

§. X. Exemplis quibusdam adhuc res declaranda: *Probatur variis exemplis.*  
 CAROLUS, Elector Palatinus testamentum suum condiderat coram VII. testibus, & nihilominus hoc cancellariæ suæ insinuaverat, quo eo minus in dubium vocari posset. IOANNES GEORGIUS I. Elector Saxoniæ, quamvis inter liberos tantum testamentum condiceret, & ita testibus opus non haberet, quinque tamen testes ex consiliariis præcipuis adhibuit, & insuper Imperatori testamentum obtulit. JOHANNES WILHELMUS, Dux Saxoniæ, *Anno 1573.* testamentum condidit, sed septem testes cum Notario advocavit. Idem fecit JOHANNES GEORGIUS, Dux Saxon. Isenacensis *Ao. 1685.* Pariter GEORGIUS, Dux Brunsvicensis & Lüneburgensis, cum *Anno 1641.* testamentum inter liberos condiceret, quinque testes cum Secretario Cancellariæ adhibuit. Idem factum a JOHANNE ALBERTO & ADOLPHO FRIDERICO, Ducibus Mecklenburgicis, sicut hæc uberiori videri possunt ex horum omnium testamentis, quæ singula recenset Dn. Præf. in *Append. Tract. de Caut. Testam. N. 3. & seqq.* Hoc fine etiam, ne ob defectum solennium impugnari possint testamenta Principum, ipsi illa munire solent clausula Codicillari, ad quam ordinarie privati testatores configiunt, uti apparer partim ex exemplo §. 7. adducto, partim etiam ex singulis testamentorum formulis jam allegatis.

§. XI. Ex hoc jam elucescit, quid statuendum sit de *De Testa-*  
 testamento Principis holographo, sive quod per totum *mento Prin-*  
 manu testatoris propria scriptum & sigillatum est, nul-*cipis holo-*  
 lisque præterea solennitatibus munitum. Illud inter*grapho.*

Proceres Germaniæ valere afferit Dn. Schilt. *J. P. lib. 2. rit.*

9. §. 3. quam suam tententiam *tom. 2. in addit. p. 40. re-*

sponso super tali testamento confirmare nititur ; cuius rationes tamen potissimum eo collimant , quod Principes absque solennitatibus valide possunt testari , quod testamentum holographum sit ipsius Principis manu scriptum . Verum uti hæc assertio de non necessariis solennitatibus juris Civilis in testamento Principis admitti potest , si res inter liberos & subditos agatur . vid . *supr.* § . 8 . ita vicissim , si lis postea cum aliis agnatis & Statibus exoriatur super successione , intutum valde est , taliter testamento absque solennibus concocto nisi , quia , uti dictum , Principes inter se tanquam præcipui cives Imperii utuntur jure communii , juxta quod tale testamentum holographum , quoad dispositionem de jure personarum extranearum nullam efficaciam aut valorem habere potest , quamvis inter liberos hoc subsistat , ut ut a Patre subscriptum non sit , *Carpz. P . 3. C . 4. D . 17. n . 7. Thoming , Vol . 1. Conf . 54. n . 15.*

*Quid juris  
in Testamen-  
to Principis  
Appanagia-  
ti.*

§ . XII . Supposita autem illa Principum Imp. potestate sine solennibus testandi , hoc tamen non extendendum ad Principes Appanagiatos , licet & hoc contendat Mylerus ab Ehrenberg . *de Stat. Imp. cap. 26. cb. 6.* Ratio Myleri est , quod beneficium hoc illustrissimæ dignitati tributum sit , *arg. L. 19. ff. de Stat. bom.* Verum hæc ratio vacillat , nam privilegium hoc absque solennibus testandi conceditur Principibus , non ratione dignitaris personalis , sed superioritatis territorialis , qua qui utantur legibus civilibus ad minimum in suo territorio soluti reputantur , nisi in quantum ipsi ex generositate legibus iubmittunt sponte Principatum . Appanagiati autem iis soluti non sunt , nam sunt sub imperio primogeniti ; & quamvis habeant dignitatem personalem , non tamen

po-

potestate pollut , neque iis privilegia huic cohærentia vindicari possunt. Igitur Appanagiati caute ac valide testaturi solennia juris civilis omittere non debent, nisi manifesto nullitatis vitio & litigiis supraemna sua elogia submittere velint. vid. Klock, Vol. 3, Conf. 102, n. 79. Bethius de Paet, illustr. c. 7. Sichard in L. sancimus C. de Donat.

S. XIII. Hæc de solennibus externis : Jam ad formam internam progredior, quæ consistit in heredis institutione, utpote quæ caput & fundamentum omnis testamenti est, L. 29. C. de Testam. L. 1. §. ult. ff. de Vulg. & pupil. substit. Hæc ergo, nec ab ipso Principi negligenda. Cum autem prima liberorum ratio habenda sit, jure civili quidem omnium, sine sexus diversitate; in Principatus vero tantum filiorum , uti satis notum est. Hinc separandi sunt Principatus, in quibus jus primogeniturae viget, & ubi æqualis successio filiorum adhuc obtinet. Illos quod attinet , cum primogenito jus præcipuum præ aliis fratribus quæsum sit, hujus etiam latior in testamento paterno habenda ratio. Obtinet autem hoc jus primogeniturae in Electoratibus ex dispositione A. B. Tit. 7. & Tit. 25. §. Decernimus, ut & in familia Archiducali Domus Austriae, vid. Diplom. Caroli, V. apud Gold. p. 1. Conf. Imp. f. 89. In Palatinatu diversarum linearum, Knichen de Sax. privil. de non appell. c. 3. n. 54. In Ducatu Brunsvicensi Lineæ Guelpherbytanæ, Bets. de Paet, illustr. p. 521. In Ducatu Würtenbergensi, Limnaeus J. P. lib. 5. c. 16. n. 10. In Ducatu Lotharingia, Befold. de Elect. & Success. lib. 1. Diff. n. o. In Landgraviatu Hassia, tam lineæ Caeselenfis, quam Darmstathinæ. Myler, de Princ. Imp. P. 1. c. 21. n. 6. In Ducatu Megapolitano tam lineæ Gustrovienensis, quam Sverinenfis jus primogeniturae, introductum est, vid.

Primogeniti  
porior ha-  
benda ratio.

vid. Reinking. *de R. S. & E. l. i. cl. 4. c. 17. n. 34.* Myler, *in ad-  
dit. ad Rumelin. ad A. Bull. p. 3. Diff. 5. tb. 5.* In hisce igitur do-  
mibus, si primogenitura per testamenta iterum tollenda  
effet, Princeps prius de primogeniti & illorum, quorum  
interesse posset, deinde & Statuum provincialium con-  
fensu certus esse deberet, nam Status vi homagii jam  
præstati, nonnisi uni, & sic Primogenito ad obsequium te-  
nentur; aliter in illorum præjudicium non valeret dispo-  
sitio, licet alias omnes solennitates provide adhibitæ fuisc-  
sent. Conf. Dn. Schilter, *de Jur. publ. l. 2. tit. 9. §. 8.*

*Quid si pri-  
mogenito se-  
cundo geni-  
tum pater in  
Testam. pre-  
ferre velit.*

§. XIV. Videndum nunc porro erit, an Pater Prin-  
ceps in feudo, ubi filio primogenito solum jus quæsumum est,  
*v. c. Elektoratu, ita disponere possit testamento, ut secundo,*  
*aut tertio genitus preferantur?* Videri possit quod sic,  
cum salus patriæ & provinciæ suprema lex esse debeat,  
& quod propterea pater, si videat filium primogenitum  
minus idoneum esse, vel viribus animi corporis de-  
stitui ad clavum Reipublicæ prudenter gubernandum,  
secundo genitum præferre possit. Verum primogeni-  
to filio citra gravem injuriam non posse spem regnandi  
interverti, verius est, cum jure suo non gaudeat ex be-  
neficio, & voluntate Patris, sed provisione majorum &  
dispositione Juris publici. Interim si pater Princeps ob-  
graves causas magis proficuum fuisse provinciis exi-  
gitmet, secundo genito fasces Reipublicæ committ-  
tere, nullum aliud remedium supererisset, quam ut  
persvadeat primogenito, quo sponte desistat suo jure.  
Exemplum illustre hujus rei est in Serenissima Domo  
Brandenburgica. Nam Fridericus I. qui primus ex  
Burggraviis Noricis decus Electorale familiæ intulerat,  
testamentum conditurus morti vicinus, filios IV. con-

vo-

vocat, & seniorem Johannem ita alloquitur: *Tibi, ut video, tranquillitatis studium est amicum. In munere septemvirali preter assiduos labores invenies nibil;* Hanc ob causam, tua si voluntate possum, *munus hoc testamento concedam FRIDERICO, qui te excitatior atque ad labores ferendos firmior videtur.* Annuit hisce petitis filius Johannes, sicque pater bona ipsius gratia heredem Electoratus fecit Fridericum secundo genitum. *Æneas Sylvius de Stat. Europ. sub Frid. 3. Imp. c. 31. Casp. Peucer. Chron. l. 5.* Felicissimus vero fuit exitus hujus consilii, dum Fridericus hic inter Germaniæ Principes suo tempore insignis, salutem communis patriæ egregie promovit, & pericula ac bella avertit. Cernitius *de famili. Elec. Brand. p. 23.* Limnaeus *ad. A. Bull. c. 7. obs. 8. §. 2.* Semper enim terraë Brandenburgicæ felices fuere sub Fridericis, nunc vero terque quaterque beatæ sub Gloriosissimo Friderico III. haec tenus Electore Brandenburgico, qui cum numerus ille ternarij perfectus sit, & virtutes tanti Principis majus mereantur fastigium, merito jam Fridericus I. audit tanquam primus inter christianos Rex Borussorum.

§. XV. Nullum vero dubium est, posse primogenitum renuntiare suo juri, vid. *can. quam pericolosum, caus. primogeniti 7. qu. 1. Galerat. de Renunciat. cent. 1. qu. 52. n. 1.* & hinc *quomodo etiam patri primogenituram in aliū testamento transfe-* *provide fieri possit?*

*Renunciatio*  
*Betsius de Paet. illustr. cap. 9. p. 469.* Ita Henricus, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis primogenitus, in favorem fratris secundo geniti, Ducis Wilhelmi, 1569. Duca-tui & successioni renuntiavit, additō pacto & stipulatio-ne de non nubendo. *Aet. Brunsvic. in caus. jur. primog. A.*

*1635. lit. 4.L.* Ceterum, cum consensu primogeniti pater etiam in dispositione ultima potest injungere, ut fratrem secundogenitum in societatem regiminis vocet; quod & ab ipso primogenito propria sponte fieri posse, nullus dubito, nec exempla defunt, ubi etiam in Electoratibus secundogeniti in societatem superioritatis & regiminis admissi. Ast, an filius primogenitus in præjudicium filii sui id facere posit, merito dubitatur. Nam renunciatio patris non ulterius obesse potest filio, quam quounque jus filii a patre dependet, quod de primogenitura afferri nequit. Nam filius ius radicatum habet ex primo genituræ institutione, ac Principatus autore, seu primo-acquirente. Betsius de Paet. famili. illustr. c. 9. f. 47o. Rummelin. ad A. Bullam p. 1. concl. 7. Tiraquell. de Primogenit. qv. 26. n. 4.

**Cautiones  
circa jus  
primogenit  
ture introducendum.**

§. XVI. Si primogenituræ jus nondum introductum sit, an Princeps Pater hoc suo testamento introducere potest? Resp. Fatendum quidem esse, jus primogenituræ saepius suis rationibus politicis non destitutum esse, & saluti communii promovenda haud raro inservire, quæ cum suprema lex esse debeat, facile videtur præponderare æquitati, quæ ex æquali divisione hereditatis inter fratres resultat. Habet enim omne magnum exemplum, ex effato Taciti *Annal.* l. 14. aliquid ex iniquo, quod postea utilitate publica rependitur, & quod omnibus prodest, private nostræ utilitati præferendum esse iudicat Imperator in L. un. § 14. C. de Caduc. toll. præsertim cum & ipsum jus primogenituræ S. Scriptura confirmet & laudet. 2. Paralipom. 2. ver. 3. conf. c. 2. Jerem. v. 7. Nihilominus magnæ cautiones hoc casu observandæ sunt, priusquam assérere possimus, tale testamentum disponen-

A PRINCIPE TESTANTE OBSERVANDIS.

51

nens de primogenitura antea nondum introducta, validum esse. Primogenitura enim antiquitus in Germania ignota fuit, nisi in Electoratibus, sed recentioribus seculis a Politicis inventa est, ne Principatus nimium dividerentur, & eorum potentia imminueretur: atque hoc intuitu admitti potest. Jure vero feudali communi, quo etiam Principes utuntur, illa primogenitura minime approbata est. Evidem Mylerus *de Jure Stat.* P. I. c. 21. §. 7. assertum cum communi Dd. schola, quod jus primogenituræ juri feudali Longobardico consentaneum sit, verum illa sententia non est omni exceptione major. Provocant communiter ad §. *præterea* 2. Feud. 55. canonizatum *in Cap. licet. de Votis.* vid. Vultej. I. Feud. c. 8. n. 36. Bocer. *desuccess. in feud.* c. 30. qv. 48. *in f.* Limnæus *ad A. Bull. tit. 25. in princ. Obs.* 3. Myler *ad Rupelin. ad A. Bull. P. 3. diff. 5. th. 4.* Verum ex hoc textu juris feudalium illud probari nequit. Dicitur quidem ibi: Ducatus sunt indivisibilis; ast inde non sequitur: Ergo primogenitus præcise succedit. Nam plures fratres pro indiviso illum tenere possunt: & deinde, si unitantur debetur, res sorti committi potest. Nam jus feudale expresse primogenitum non præfert. vid. Betius, *de pac. famil. illuſtr.* p. 539. Springsfeld *de Appanag.* c. 5. n. 15. Dieterich *ad A. Bull. tit. 7. p. 95.* Accedit, quod multi Principes jus primogenituræ acriter detestati sint. Sic Elector Johannes Fridericus illud expresse prohibuit ac vocavit: *dass Leidige primogenitur-Wesen & successor ejus: dass Teuffelische primogenitur-Wesen* &c. uti apparel ex illorum testamentis a Dn. Præside adductis *in Append. Tr. de Caut. Testamento.*

§. XVII. Cum igitur ex legibus publicis primoge- *In primoge-*  
ni- *natura in-*  
G 2

*troducen-*  
*dæ caute*  
*adhibetur*  
*consensus*  
*Imperatoris.*

nitura non possit probari, patri Principi illam introducero suo testamento observandum erit, ut (1.) non propria autoritate hoc faciat, sed requiratur consensus Domini directi feudi, vel in nostro imperio Imperatoris confirmatio. Dieterich *ad A. Bull. cap. 24* Springsfeld.

*de Appanag. cap. 5. n. 59. seqq.* Nicol. Betius *de Paet. illustr. famili. cap. ult.* quæ confirmatio impetrari debet, antequam disponens vita functus sit. Mauritius *Conf. Chilon. P. 2. Conf. I. n. 24.* Nam in momento mortis jam æqualis successio ad omnes filios devoluta, quam tollere postea Imp. sua confirmatione citra injuriam nequit. In tantum vero necessaria est confirmatio Imperatoria, ut illa pro forma hujus actus requiratur. Maurit. *I. cit. n. 25. 26.* Tales etiam confirmationes in lineis Brunsvicensibus ac Hassiacis observatas esse, testatur Springsfeld. *de Apannag. p. 21. & seqv.* In primis vero providendum est, ut illa confirmatio fiat in forma speciali, h. e. ex certa scientia, præcedente informatione particulari de actu & omnibus ejus circumstantiis necessario exprimendis.

*Caute adhi-*  
*betur etiam*  
*reliquorum*  
*Statuum*  
*consensus.*

§. XIX. Reliquorum etiam Ordinum & Statuum Imperii consensum accedere debere, multi existimant. vid. Nic. Betius *de Paet. Illustr. c. ult. p. 712.* Limnæus autem desiderat, ut haec confirmatio fiat in Comitiis, *de Jur. publ. lib. 4. c. 8. n. 121.* a quo non ablutus Betius, dum testatur *I. c. p. 707.* antehac saepe in Comitiis Ordinum hanc confirmationem factam fuisse. Illustre etiam hujus confirmationis juris primogenituræ exemplum adest in Domibus Hassiæ, Casselana & Darmstathina, in quibus jus primogenituræ pace Osnabrugensi confirmatum est. *art. 15. ins.* Verum non existimamus, illam confir-

A PRINCIPE TESTANTE OBSERVANDIS.

53

firmationem & consensum Ordinum necessarium esse. vid. Dietr. ad A. Bull. tit. 24. p. 95. Reinking de R. S. & E. lib. 1. cl. 2. c. 12. n. 49. Nam nulla lex Imperii hoc requisivit. Nec Statuum reliquorum interest, quomodo in hac provincia succedatur. Ad exemplum illud Hassiacum vero responderi potest, quod actus a libera voluntate solum profecti non inferant necessitatem; cum illud ex superabundanti factum sit, & ipsa verba Instrumenti pacis testantur, ibi non dispositio, sed relative hoc insertum esse. Verba enim ita se habent: *firnum maneat jus primogeniture &c.* vid. Dn. Maurit. *alleg. cons. n. 35.* Multa e contrario exempla adfunt, ubi Imperatorum solummodo confirmatio citra ordinum consensum sufficiens fuit. Sic Carolus V. solus jus primogeniturae in Domo Brunsvicensi introduxit, nec ibi fit mentio ordinum reliquorum, aut eorum consensus. Springsfeld *cit. tract. c. 5. n. 59.* Interim non negamus urile esse, ut accedit ille ordinum consensus, tunc enim eo minus primogenitura in dubium vocari poterit successoribus. vid. Dn. Maurit. *Vol. 2. Consil. Chilon. 1. n. 35. & 36.*

§. XIX. Requiritur (2) ut talis dispositio testamenteria de jure primogeniturae introducendo fiat, *liberis natura innondum natis*, Myler. ab Ehrenb. de *Jur. Stat. p. 1. c. 21. §. 8.* *troducenda* *caute adhibetur consensus ultra genitorum.* *Non multum ponderis in hoc puncto consistere existimmo.* Nec hodierno usu ea in pactis & statutis jus primogeniturae introducentibus observari, testatur Springsf. *diu. tract. c. 5. n. 48.* Dieterich. *dict. loc. Limnaeus loc. cit. Igitur*

tur etiam per testamentum jus primogenituræ stabiliri potest liberis ultragenitis existentibus. Verum non aliter hæc sententia admitenda, quam si testamentis accesserit consensus filiorum ultragenitorum, cum nec Imperator his ius quæsitum auferre possit. *L. nec avus. 4. Cod. de Emanc. liberor.* Nec sufficere nudum consensum, sed necesse esse, ut juramento suo corroborent hanc dispositiōnem ultimæ voluntatis, nonnulli volunt. vid. Springsfeld de *Appanag.* cap. 5. n. 55. ubi & præjudicium hujus rei affert Mylerus de *Stat.* Imp. P. 1. cap. 21. n. 8. Limnæus *J. P. lib. 4. c. 8. n. 121. sequ.* Dietericus ad *A. Bull. tit. 24. p. 90.* Quamvis vero hoc in praxi non ita accurate soleat observari; attamen hæc sententia fundamentum habet in *Cap. quamvis. 2. de Paet. in 6.* ubi disponitur, quod pacta successoria, non nisi cum juramento, sustineantur.

*Juramen-  
tum con-  
sen-  
sui ul-  
trage-  
nitorum  
caute acce-  
dit.*

*Ultragenitis  
consen-  
tibus debet  
prospici de  
Appanagio.*

§. XX. Ut autem filii ultrageniti sine injuria consentiant in primogenituram, ipsis prospiciendum de *decenti Appanagio,* filiabus autem de portione ad alimenta & dotem, tempore matrimonii contrahendi congrua. Springsfeld de *Appanag.* c. 5. n. 54. Dietericus *alleg. loc. Limnæus J. P. lib. 4. c. 8. n. 121.* Quanta autem hæc portio esse debeat, non convenit inter Dd. Mylerus *l. alleg.* simpliciter dicit: prospiciendum esse natis & nascituris de alimentis *ihrem Stand gemäß.* Verum cum nihilominus obscurum maneat, quanta alimenta statui ipsorum convenient, puto clarius portionem Appanagi posse constitui, si dicatur, *Legitime rationem* habendam esse. Hæc enim, cum omnibus liberis salva esse debeat, non denganda etiam erit liberis Principum, æquali jure succendi gaudentibus. Exemplum hujus contigit in Sereniss. Domo Saxonico-Isenacensi, ubi hodiernus Imperator

ra-

rator, priusquam primogenituram confirmaret, in antecessum inquire mandavit, ob der andere Herr Bruder auch an seiner legitima dadurch wurde verkürzt werden/ cuius cognitionem duobus ex vicinis Principibus commisit. Igitur in tempore pater Princeps primogenituram introducatur prospiciat reliquis de quantitate hac legitima. Springsfeld d. 1. Myler. cit. lib. cap. 22. n. 2. Aliud enim est, an primogenitura primum inducenda in Principatum haec tenus divisibilem, ubi cum filius secundo genitus jam habeat jus aequalis successionis, hoc ipsi adiminequit, nisi salva legitima; alia vero ratio est Principatus, ubi primogenitura ex antiquo obtinuit, & hic sufficit assignatio alimentorum sufficientium, nec praecise ad legitimam respiciendum. Atque in hunc sensum intelligendum est Mylerus *de Princ. Imp. P. 1. c. 22. n. 5. & ibi allegati Autores.*

§ XXI. Porro (3), patrem primogenituram testamento, aut alio modo introducturum, *Ordinum Provinciam consensum adhibere obstrictum esse*, afferunt *tura immodicata*. Dieterich *ad A. Bull. p. 95.* Mylerus *cit. lib. cap. 21. n. 8.* Limnaeus *j. P. lib. 4. c. 8. n. 121.* Nicol. Betfius *de paet. famil. illustr. Cap. ult.* Verum de hac assertione dubitari posset, quia Statibus provincialibus nil decedit, si divisae provinciae in unitate regimantur, sed potius eorum promovetur commodum, cum ita ipsi status eo magis uniantur, & ita aptiores sint, ad onera publica ferenda & damnatione communis consilio avertenda. Nec mutatur hic dominus, uti Mylerus contendit *loc. alleg.* sed potius ex pluribus dominis futuris uni assignatur regimen provinciae. Imo, si vel maxime mutaretur dominus, sitamen id fiat salvis juribus Statutum, uti quidem id fieri debet

bet, non habent hi, de quo conquerantur. Interim etiam Princeps hoc casu caute facit, si consensum, aut ad minimum præscitum & deliberationem Statuum suorum in diætis provincialibus non negligat. Jam vero semper consultius est, tutiorem viam eligere. Apposite in hac materia Molina de Hispan. Primogen. lib. 2. c. 8. n. 40. fvatet, ut in primogenitorum & Majoratum institutione, in his, quæ corum solennitatem contingunt, semper tutiores opiniones elegantur. Longe enim, pergit, melius fuerit, solennitatem etiam non necessariam in Majoratus institutione adhibere, quam necessariam omittere. Non enim ea, quæ superabundant, sed ea quæ deficiunt, scripturas vitiare solent. Si igitur omnes hæc cautiones observentur, nullum esse dubium, quin de primogenituræ jure valide per testamentum, aut alio modo, disponi possit.

*Parte ditio-*  
*nis per teſta-*  
*mentum in*  
*Apanna-*  
*giū con-*  
*cessa, an ſu-*  
*perioritas*  
*territorialis*  
*iis ſimul ac-*  
*cedat?*

§. XXII. Hoc adhuc tangendum, an si ad ultragenitos pars ditionis & terrarum perveniat & assignetur a patre, superioritas territorialis simul in testamento concedi possit? Respond. Apannagii jure secundo genitis saepius certam terrarum, aut præfecturarum portionem assignari, extra dubium est. conf. Springsfeld. de Apannag. c. 7. Verum Princeps suo testamento cavere nequit, ut ad filios Apannagiatos transeat in provinciis Apannagii loco concessis superioritas territorialis. Hæc enim cohaeret ipsi regimini, quod, cum primogenito soli cedat, non poterunt alii fratres in consortium excelsi hujus juris invito primogenito admitti. Unde communiter concludunt Dd. superioritatem territorialem etiam in districtibus Apannagii loco concessis primogenito salvam manere. Vultej. Conf. Marp. 35. n. 46. Ritter de Homag. pos. 85. Cothmann. Vol. 4. conf. 3. n. 198. Myler. de Princ. Imp.

P. l.

P. i. c. 22. §. 3. Springsf. d. tr. c. 5. n. 47. A criter etiam aliquando, occasione testamenti Johannis Georgii I. quod extat apud Sprenger, *Lucern. Imp. Stat. modern.*, p. 112. hoc ventilatum est inter successores Electoratus & Duces Saxonie ejusdem lineæ: nullum aliud igitur remedium hic supereesse videtur, ut testamentum paternum hoc casu exitum sortiatur, quam, ut disponatur heres & primogenitus, quo ad patris voluntatem sponte partem iuriū fratribus concedat. Quanquam hic omnino distingvendum inter primogenituras noviter introducendam, & jam olim introductam. Posteriori casu procedunt, quæ dicta sunt: Priori autem casu, cum fratres ultrageniti de jure portionem provinciæ æqualem cum Jure superioritatis habuere debuissent, nil obstat patri, quo minus in novo hoc apannagio simul aliquid ex superioritate transferre valeat, cum nullum filio primo-genito ob æqualitatem juris inferatur præjudicium.

§. XXII. Porro videndum, an primogenitus per *Quando pa-*  
*testamentum paternum gravari possit in constitutione A-* ter primoge-  
*narii, ita ut majorem summam, quam moribus provincie nitum am-*  
*receptum, Principibus ultragenitis praestare teneatur?* Vi-  
*pliori, quam*  
*detur, quod tale testamentum subsistere non possit, quia* *conservatum*  
*apannagium in primogeniti arbitrio & voluntate confi-*  
*fit, uti expresse hoc innuit Carolus IV. A. Bulla tit. 25. §.* *mento gra-*  
*fin. verbis: Princeps primogenitus apud alios fratres & so-*  
*rores se clementem & pium exhibebit, continuo juxta datam*  
*a se gratiam, & juxta suum beneplacitum & ipsius patri-*  
*monii facultates. Quamvis enim in his verbis Carolus*  
*Imperator adhortetur primogenitum ad liberalēm su-*  
*stentationem, non tamen dissimulat, quod in ipsius be-*  
*neplacito hæc res sita sit. Deinde clarum est, quod Ap-*

pannagia magno Principum bono, potentiae illustris conservandae gratia in Imperio Germanico introducta sunt, vid. Springsfeld de Apannag. Cap. I. Burgoldens Notit. Imp. P. p. 1. diff. 20. n. 19. Igitur, si testamento ultra consuetum apannagium velit gravare primogenitum pater, respiciendum est, ad circumstantias, & ratio Principis testantis habenda foret, an ille principatum solum reliquerit primogenito, an insuper insigne aliquod allodium. Priori casu agnoscere non tenetur primogenitus gravamen, quippe cum principatus ipsis per leges Imperii deferatur, ut hinc alia, quam territorio coharentia onera suscipere non teneatur. Igitur cautela hoc loco est, ut ex allodium augeatur apannagium, tunc enim nullum est dubium, quod in eo venerari debeat Princeps successor defuncti voluntatem.

*Patre primogenito in testamento omnes provincias tribuente, reliqui appanagio contenti esse debent.*

§. XXIV. Ubi igitur jus primogeniturae introducitur, & quantitas apannagii pactis familie jam determinata est, ulterius videndum, si Princeps testator plures, quam unum principatum noviter acquisitum relinquit, *an valeat dispositio, quod omnes obvenire primogenito, reliqui vero apannagio contenti esse debeant?* Dicendum videtur, quod non, quia ratio alias pro primogenitura militans, ne scilicet principatus dividatur, hic cessat; Nullus enim principatus hic dividitur, sed cuique Principum integer principatus assignari potest. Verum haec ratio non sufficiens esse videtur. Nam jus primogeniturae non uni principati est alligatum, sed per omnes se diffundit provincias paternas. Hinc jus excludendi ultragenitos locum habet in omnibus territoriis, in quaet alias solus primogenitus succedere solet. Breviter nonnulli Dd, hoc ita efferre solent: primogeniti legitima est totus Prin-

Principatus, Tiraquell. de *Primogen.* qu. 5. n. 1. Merlinus de *Legitim.* lib. 2. tit. 1. qu. 2. Ricc. in coll. *Decis.* 2378. Hinc primogenito cedunt quoque provinciæ accessoriæ, vid. Myler. ab Ehrenb. de *Iur. Stat.* p. 1. c. 21. §. 18. Rosenthal. de *feud.* Cap. 7. concl. 47. n. 15. Schrad. *conf. feud.* 3. n. 391. Rosenthal l. c. Springsfeld de *Apannag.* c. 11. n. 255. Justum tamen æquumque est, ut tali casu ex novis principatis ultragenitorum apannagium augeatur.

§. XXV. Cum autem ducatus vel principatus saepius incrementa accipiat, queritur *quid juris in bonis allodialibus, Dynastiis, pagis, villis a patre nuper acquisitis, an pater testamento de illis in prejudicium primogeniti disponere possit?* Videretur sententia negativa amplectenda esse, quia ad primogenitum pertinent totum territorium, igitur hæc, si ducat unita sint, wenn sie der Cammer eins verleibet primogenito cedunt. Nam incorporatio omnium complebitur, & facit unum corpus. Springsfeld de *Apannag.* cap. 11. n. 258. Myler. ab Ehrenbach. de *Iur. Princ. & Stat. Imp.* p. 1. c. 21. n. ult. Caveat igitur Princeps, quide bonis noviter acquisitis disponere libere cupit, five per actum inter vivos, five mortis causa, ne illa bona Cameræ suæ reditus ordinariis accensenda curet. vid. *infra*. §. 39.

§. XXVI. Non solum autem filii, sed & filiæ in non nullis familiis illustribus in defectu masculorum ad successionem feudi titulati admittuntur. Vocantur hæc feuda *Kundel- Lehens:* Exempla horum feudorum non adeo rara sunt in nostro Imperio. Feuda enim feminina sunt ducatus Austriae *Limnaeus* de *Iur. Publ.* l. 5. c. 2. n. 30. ducatus Cariathiae & Comitatus Tyrolensis. *Arniseus* de *Republ.* lib. 2. se<sup>ct</sup>. 12. n. 30. Ducatus Cliviæ & Juliacensis ac Montium. vid. *Limnaeus* J. P. lib. 5. c. 10. n. 7. Mylerus

*Quid caute  
observan-  
dum in te-  
stamento  
Principis  
circa feudu  
feminum.*

50 CAP. III. DE BONIS PRINCIPUM

de Stat. & Princ. Imp. P. I. c. 24. Quæritur vero nunc, an Pater Princeps masculis destitutus, testamento possit æqualiter inter filias feuda hæc distribuere? Negat hoc Mylerus I. c. quia ratio inductiva primogeniturae æque in foeminitis, quam masculinis feudis locum habet. Scilicet ut Ducatus & Marchionatus per indivisibilitatem in integro conserventur, merito igitur idem jus statuendum erit. Nic. Betf. de Pact. illustr. c. 8. p. 474. Nam quæ ratio succedendi obtinet inter descendentes masculos, illa quoque obtinet inter descendentes feminas, quia hæ deficiensibus masculis in illorum locum surrogantur. Ex quo jure etiam Sereniss. Elector Brandenburgicus integrum Ducatū Juliae & Cliviae prætendit, quia filiam seniorem in matrimonium accepit. Igitur si pater vellet, ut testamentum suum subsisteret, senioris filiae, quippe cui jus quæsitum est, consensum impetrare neceſſe haberet ad feuda illa dividenda per testamentariam dispositio- nem.

CAP. III.

De,  
BONIS PRINCIPUM TESTA-  
MENTO RELINQUENDORUM.

§. I.

Princeps te-  
ſtator bono-  
rum ratio-  
nem habere  
debet. H H

**P**rincipibus testaturis non tantum attendendum, qua forma ultimum condere debeant elogium, sed pari sollicitudine eo respiciendum, an etiam bona hujus generis sint, ut de his testamento disponere possit. Sane Principatus ipsi ab Imperatore & imperio per modum feudi recognoscuntur; feuda vero dispositioni testamentariae exempta esse, juris apertissimi est, *I. Feud. 8.* Hinc

Hinc apud Dd. in confessio est, quod de feudo regali nullum valeat testamentum. Cothman. Vol. 1. Resp. 41. Vultej. Vol. 2. Consil. Marpurg. 25. n. 66. Jura enim feudalia etiam in Principatibus observari, expeditum est: Vid. Reform. Polit. de Ann. 1548. Tit. 3. ibi. Was das Lehn Recht vermag. Accedit provisio majorum, vi cuius haec feuda regalia masculis descendentibus destinata, quorum jus testamento interverti nequit Conf. Dn. Schilter. J. P. lib. 2. tit. 9. §. 5. & quamvis Princeps familiae suae forte ultimus sit, non tamen eo magis jure testandi de principatu gaudebit, cum hunc ad Imperatorem & imperium reverti certum sit, vi Capitulationis Imperatoriae Artic. 30.

§. II. Sed quid si ultimus principatus possessor pro cautela adhibendum censuerit consensum Imperatoris ad testamentum, annon tunc sustinebitur ejus dispositio? Ita videtur, cum agnati deficiant, & sic nihil amplius requiri videtur, quam consensus Domini feudi, quo alias testamenta Vasallorum confirmantur. Rosenthal de Feud. c. 7. concl. 4. n. 6. Anton. Disp. Feud. 5. tb. 8. lit. E. Attamen in Principatibus & Comitatibus Imperii res aliter se habet, cum enim hi extincta familia redeant quidem ad Imperatorem, libertastamen de his iterum disponendi per Capitul. Leopold. art. 30. solenniter restricta, ut sine consensu Electorum in alium transferre principatum vacantem nequeat, sed hic Camerae Imperii incorporari debat, inde sequitur, nec solius Imperatoris consensum sufficere, ut ultimus possessor in testamento successorem scribat, nisi & ipsi Electores hoc approbaverint.

§. III. Alia ratio est, si domus quaedam illustris ab antiquo, antequam Electorum consensus per Capitula-  
tiones de necessitate requisitus fuerit, potestatem de alienando  
vilegium de

H 3

Prin- habeat?

principatu suo libere disponendi acceperit, quo jure in specie gaudet domus Austriaca, quæ privilegio hoc munita de terris suis libere disponendi, easque alienandi, per consequens etiam de his testandi, de quo vid. Limnæus de J.P. lib. 5. c. 2. n. 210. Illustris Dn. de Rhetz. Disp. de Transmissione Territor. c. 2. n. 58.

*Quid his  
porro obser-  
vandum?*

§. IV. Reliqui igitur Principes caute testaturi de feudo suo, aut parte feudi & principatus, omnia illa obseruare necesse habent, quæ Vasallo de feudo testamentum condituro observanda funt. Nimirum hoc casu consensus Imperatoris, utpote feudi Domini, certo modo etiam Electorum, uti dictum §. 2. demum & agnatorum accedere debet. Solius vero domini consensus agnatis præjudicare nequit, ob jus ex pacto & providentia majorum, suffragantibus publicis Imperii Legibus, quæ situm Schrader. d. Feud. p. 7. Concl. 2. n. 2. Vultejus de Feud. c. 9. n. 79. De quo plura dicere nil refert, cum omnia huc referri possint, quæ speciali disputatione de Testamentis Vasalorum proposuit Dn. Praeses.

*Imp. Con-  
sensu opus  
est, si prin-  
ceps inter li-  
beros in-  
equaliter di-  
sponat.*

§. V. Cum tamen sæpius Principes consultum existimant inter liberos suos de ipso Principatu inæqualiter disponere, vel introducendo primogenituram, vel di spares assignando portiones, aut alterum alteri in superioritatis administratione præferendo, quibus casibus agnatorum jus non intervertitur, hinc de eorum consensu ad disponendum solitus esse non tenetur; attamen cum circa ipsum feudum disponat, ne se oppone reliqui possint filii Imperatoris consensu, vel approbatione ad hujus generis testamenta omnino opus est, ubi filiis eo minor contradicendi occasio remanet, cum hi alias ductu juris feudalnis ad factum parentis præstandum

S. medie. - 17

H

ad-

adstringantur 2. Feud. 45. Hunc in finem Johannes Georgius I. Elector Saxoniae Cæfaris confirmationem petiit, quod & factum a Johanne Georgio, Duce Isenensi, a liisque Principibus Imperii pluribus.

§. VI. Cum vero non tantum nexus ille feudal <sup>Paetia Con-</sup>  
provinciarum resistat Principum testamentis, sed quan- <sup>fraternita-</sup>  
doque etiam pacta familiae, de his jam videndum. Perti- <sup>tis testa-</sup>  
nent <sup>mento resi-</sup>  
huc pacta confraternitatis die Erb-Verbrude <sup>rungen/ Erb-Einigungen/ quibus id agitur , ut alterius</sup>  
<sup>flunt.</sup>  
stirpe extincta, Principatus certa successionis lege ad <sup>Paetia suc-</sup>  
alteram superstitem familiam devolvatur jure succes- <sup>cessoria &</sup>  
sionis reciproco. Tales conventiones initæ sunt inter <sup>confrater-</sup>  
Domum Saxoniam & Hassiacam 1373. quibus postea <sup>nitatis su-</sup>  
1587. Marchiones Brandenburgenses accesserunt. Quod <sup>spendunt te-</sup>  
pactum inter has tres familias denovo confirmatum est <sup>flamenta</sup>  
1614. vid. Bened. Carpzov. de Paet. Confratern. Saxon. Principum.  
Haff. Limnaeus Jur. Publ. 1. 4. c. 8. n. 163. Quamvis autem  
ad conventionem Brandenburgicam Imperatoria con-  
firmatio expressa haud accesserit, & propterea a nonnullis  
minus firma credatur, vid. Limnaeus l.c. & in Addit.  
attamen tacitam confirmationem Imperatoriam adesse,  
negari nequit: Nam hoc pactum Imperatori & impe-  
riо notum esse, Imperator hodiernus etiam in Capitu-  
latione sua solenniter promisit: *Wir wollen die Unter-  
Chur-Fürsten und Ständen aufgerichtete Erb Verbrude-  
rungen hiermit confirmiren und approbiren.* Vid. *Capitul.*  
*Leopold. artic. 6.* Hæc generalis confirmatio sufficere  
potest. Vid. Limnaeus in *Not. ad hanc Capitul. dict. art.*  
*voc. Erb Verbruderung.* Similes conventiones sunt in-  
ter Comites Palatinos & Bavariae Duces. Musculus de  
Success. Anom. <sup>tit. de Confratern. Concl. 9.</sup> Ritter <sup>diff. ejusd.</sup>  
<sup>tit.</sup>

4 CAP. III. DE BONIS PRINCIPUM

*tit. §. 10.* Tale pactum olim fuit, quamvis non ex omni parte reciprocum inter Pomeraniæ Duces & Marchiones Brandenburgicos. Tenorem ejusdem vide apud Limnæum *J. P. lib. 4. c. 8. n. 375.* item vigore Cadaviensis pacti inter Ferdinandum I. & Udalricum Ducem Wurtenbergiæ, Austriaci expectantiam in Ducatum Wurtenbergicum acceperunt. Limnaeus *J. P. lib. 5. c. 17. n. 13.*

*Cantela, ut  
in his pactis  
salva man-  
nat testa-  
mentaria  
dispositio.* §. VII. Hisce igitur pactis existentibus, testamentis ultimi possessoris locum non relinqui, & licet illud confessum sit, tamen non valere posse, clari juris est. Carpz. de pact. confrat. tb. 36. n. 7. Betius de pact. fam. illustr. c. 4. Klock. vol. 3. Conf. 180. n. 13. sequ. Evidem de Jure Civili pacta illa de futura hereditate plena trifissimi eventus reputantur. L. fin. Cod. de Pact. nec secundum hoc jus pæta ejusmodi tollebant potestatem testandi, seu aliter de bonis suis disponendi; ast hoc securus est hodie, ubi in præjudicium successionis pæctitiae nulla valet dispositio testamentaria. Igitur, si quis Principum in nova erectione pæctorum confraternitatis sibi velit prospicere de testamenti factione, necesse est, ut in gratiam filiarum, vel heredum allodialium certa quantitas liberæ ultimi possessoris dispositioni relinquatur, & pæcto caveatur de implenda ultima voluntate. Provide ac caute hoc observatum est in confraternitate Saxonico-Hasfiaca, ubi ita dispositum legitur: Auff die des andern Füstenzthum/ Graffschafften und Herrschaften also kommen / soll auch der abgegangenen Partey Testament/ ob Sie anders Testament gesetzt hätten/ ohne allen Eintrag handhaben/dazu helfen und thun/ daß es auff das redlichste/nach des abgegangenen letzten Willen und Begehrung auffgerichtet würde/ doch so soll des letzten Testament über 30. Guldens nicht

nicht seyn und auch mit keinen Schlzfern / Städten noch Dörfern sondern ansahrender Haab gemacht und gesetzet seyn. Vid. tr. de success. ab Intest. Disp. 8. C. 7. tb. 32. Carpz. de pact. confratern. tb. 45. n. u. Muscul. de Success. Anomal. tir. de Confratern. tb. 35. Utut autem haec quantitas valde modica sit, augeri tamen nequit testamento, nisi nova Principum confratrum permissione.

§. VIII. Bona Domanialia, vulgo Cammer-Gü<sup>s</sup> Difficultas, ther oder Tassel-Güther/ sunt etiam ex classe illorum si de bonis bonorum , quorum alienatio , five per actum inter domani alienos vivos, five mortis causa, vix aut difficulter conceditur. Ita enim comparatum est cum hisce bonis, ut Princeps fere intuitu eorū, instar usufructuariis consideretur, vera illorum proprietas autem Reipubl. sit. Grotius de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. c. 6. §. u. aut si dominium hic Princi- pi conceditur, tale tamen perhibetur, quale est mariti in fundo uxoris , ubi semper excepta manet potestas alienandi sine uxoris consensu. vid. B. Casp. Ziegler. in not. ad h. l. Grotii. Hinc & juxta Petrum Gregorium de Republ. l. 3. c. 2. bona ista Domanialia dotalitionum instar post inaugurationem Principis , velut desponsationem, eidem obveniunt. Nec amplius haud dubie Dd. formulam hanc de Principe usufructuario ratione Domanialium bonorum, extensam voluerunt , quam ut eo ipso demonstrarent, Principibus sine consensu Statuum, alienationis potestatem non competere. Atque in eo latet fundamentum, propter quod Domania alienata iuste revocantur, vel ab ipso Principe alienante, vel ejus successore. vid. Caut. Contract. Sect. 1. c. 3. §. 14. Dn. Seidel. Diff. de Sacro Domanior. jure aff. 12. n. 1. B. Brunnenm. Conf. 1. Nam absque consensu Procerum, vel

populi alienata hæcce bona Domanialia, sive Coronae, revocanda & Cameræ incorporanda esse, satis patet, ex famoso *Cap. Intellecto.* 33. *X. de Jure jurand.* cum quo consentiunt Dn. Bruckner. *Diss. de Domanis Germanie,* Dn. Ringler. *de Doman. Germ. lib. 1. §. 7. seqq.* aliquie, qui de Domanii quicquam commentati.

*Cautela, ut  
alienatio  
bonorum  
Domaniali-  
um, per te-  
stamentum,  
valida sit.*

§. IX. Bona igitur Domanialia, si per testamentum alienanda sunt, Procerum vel Statuum consensus adhibendus est. Sic enim ipsa Respublica alienasse videtur, & cum hæc non moriatur, non dabitur casus, ubi alius successor suo jure revocationem instituere possit. Doctores enim ad unum omnes propterea revocationem Domaniorum concedunt, quia absque consenu Reipublicæ, vel illam repræsentantium alienata sunt. Sufficere vero videtur hoc casu, si alienatio a majori ordinum parte approbata sit. Nam non solent res majoris momenti sine ordinum, aut omnium, aut majoris partis consenu expediri, quod vero major pars approbat, ab omnibus approbatum censetur. Dn. Seidel. *diss. de Sacro Doman. Jur. affert.* 12. n. 1. Non tamen excludenda hic est iusta alienationis causa. Nam si hæc deficeret, & Statuum plerorumque consensus, quibus forte contradicendi potestas adempta, aut restricta licet accederet, tamen non videtur aliquid obstare successori, quo minus bona illa testamento, aut alio modo alienata iterum vindicare posset. conf. Joh. a Sande *de prohib. rer. alienat. cap. 6. §. 4. n. 21.*

*Cautela, ut  
bona noviter  
acquisita  
testamento  
alienare*

§. X. Par decisio formanda videtur de bonis noviter a Principe quæfisis bello; aut alio titulo. Hæc enim, si reliquo corpori bonorum & reddituum Cameralium inserta sunt, pro domanialibus hodie haberis solent. Unde

de facile coniicere licet, vix caute procedere illos Principes, qui talia bona noviter acquisita mox Cameræ & menæ redditibus associant, atq; sic indolem atque habitum bonorum domaniaium assequi patientur. vid. Dn. Fritsch. *tr. de Incorporat. bonorum cap. 2. seqv.* Nam eo ipso tales Principes facultatem donandi & testandi de his bonis, alias ipsiſ tanquam primis acquirentibus salvam, eripiunt ſibi. Hinc provide admodum Rex Borusiaꝝ, Præfecturam Petersberg/ non ita pridem ab Electore Saxoniae comparatam, noluit annumerari reliquis bonis Cameralibus, ſed ſue diſpoſitioni reſervavit, unde dubium nullum eſt, hanc præfecturam libere per teſtamentum tranſferri poſſe. Licet exiſtimem, hypothefin illam, quod bona noviter quæſita & Cameralibus juncta, ſint pro domaniaibus habenda; nondum stringere Principem acquirentem, & proprio motu pro lubitu bona illa Domanio jungentem, ſed tantum ejus ſucceſſorem. Ille enim voluntatem ſuam mutare poteſt, niſi illi cum re-publica pactum peculiare deſuper interceſſerit. Non vero ſucceſſores, quippe qui factum defuncti impugnare haud poſſunt. Interim tutius eſt hoc caſu, fi Princeps bona noviter quæſita jungens Domanio, voluntatem ſuam declaret, quod ſibi ſemper reſervet po-teſtatem de illis pro arbitratuſ diſponendi; ſic enim po-teſtas donandi & diſponendi de illis bonis ipsi ſemper citra controverſiam ſalva manet.

§. XI. De bonis allodialibus valide Principem teſtamentum, fi modo cetera paria, & ſolennia ſolita adſint, condere poſſe, apud omnes Dd. in confefſo eſt. Refidet vero ibi diſſiſtuaſ, quid proprie bonis allodialibus Principis accenſeri mereatur. De his igitur inquire-

*De bonis al-  
lodialibus  
Princeps  
caute non  
diſponit, niſi  
confet, que  
dum illa ſint.*

dum est, antequam queratur, an valide de iis disponere possit. Igitur ordine de iis nunc dispiciendum erit.

*Quatenus  
de bonis fi-  
scalibus va-  
leat testa-  
mentum  
Principis.*

§. XII. Primo loco disquirendum est de *bonis Fis- calibus*. Hæc allodio non possunt adscribi, quatenus considerantur ipsi fundi fiscales, unde scilicet Principi redditus obveniunt. Nam hæc ad futuros Reipublicæ usus æque conservanda sunt, quam domania bona; hinc si hæc alienata sint, æque Princeps successor illa vindicare potest, quam bona domania; Nam his alienatis, æque minuitur Status publicus v.c. alienatione telonii, quam si unus alterve pagus ex dominalibus alienaretur. Verum illi redditus fiscales, qui Principi durante regimine obveniunt, merito Principis allodiis adscribuntur. Exemplum potest esse in bonis vacanti- bus, quæ fisco deferuntur, aut quæ Princeps ob crimen perduellionis occupat & similibus. Hi cum tantummodo redditus annuos augeant, & pro libero ejus arbitrio dispensentur, non vero Domatio accrescant, hinc sequitur, quod de iis Princeps ex plenitudine potestatis, & ex illo jure, quod in reliquos redditus habet, æque ac de patrimonialibus libere disponere & arbitrari valeat, modo tan- tum usibus publicis relinquatur, ut conserventur illa, quæ ad statum Reip. pertinent. vid. Dn. Alexandri *Diss. de Jur. Allodial. Princip. Imp. Cap. 2. n. 34.* Caveat igitur Princeps, ne talia bona reliquis patrimonialibus incor- porari curet, ob rationes in §. X. allatas.

*An Princeps  
de pecunia  
parata te-  
stari pos-  
sit?*

§. XIII. De *pecunia parata*, quæ frugalitate Princi- pis ex proventib⁹ publicis superest, quod ad res allodiales pertineat, ita ut Princeps illarum donare, aut in testamen- to disponere de ea possit, non videtur dubitandum. Quia fructus universi, quos Princeps ex bonis domani- libus

libus, vel fiscalibus, vel aliis quibuscumque capit, jure allodiali ad ipsum spectare jubet. Nam cum in his libera consumendi facultas illi relicta sit, & alias communiter fructus allodio accenseri soleant, injustitiae plenum foret, hereditibus Principis illas afferre velle, quos ipsius temperantia & provida rei familiaris administratio asservavit. Fructus enim sunt in Principis dominio, & sic de iis pro libitu & ultima voluntate, & inter vivos disponendi facultatem habet. H. Grotius *de Jur. Bell. & pac. lib. 2. cap. 6.*  
 §. 12. Dn. Vitriarius *Instit. Jur. Nat. & Gent. l. 2. c. 6. qu. 17.*

Illi interim fructus, qui superfunt ex bonis, quae destinata sunt ad onera Reipubl. in Principatu vel Regno, ubi bona parata fructus ex bonis sunt ad one-  
 na ita divisa sunt, ut certa pars ad sustentationem Regis, vel Principis destinata, ex aliis vero bonis impensa in Reipublica conservationem facienda, ad allodia Reipubl. non Principis pertinebunt. Judice enim Pufendorfio  
*de J. N. & G. lib. 8. c. 5. §. 8.* bona, quae parantur ex bonis ad rempublicam destinatis, aut per tributa & sanguinem civium, ac per talem eorum operam, quam ex communione sua obligatione civitati debent, eadem Regno, aut principatu, non autem privato Regis patrimonio accrescere. Vid. Dn. Alexandr. *in dict. Disp. t. 2. n. 40.* ubi 44. decisum etiam est, illa bona, quae Rex aut princeps in bello, quod propriis sumtibus citra contributionem quendam civium, absque ullo civitatis onere ac periculo, vel ex solis fructibus domaniorum, quae tanquam princeps possidet, acquisivit, pro allodialibus & sic testamentariae dispositioni obnoxii habenda esse. Illius enim rei proveni-  
 tus, cuius ego usum fructum habeo, pleno jure mei sunt, & de iis pro libitu disponere possum; hinc omne, quod ex illis denuo acquirro, irrevocabiliter meum facio. vid.

An Princeps  
 in testamen-  
 to disponere  
 possit de ac-  
 quisitis bello  
 propriis  
 sumtibus?

Pufend. cit. lib. 2. c. 6. §. 12. Itaque & Rex ac Princeps omne illud suum faciet, quod ex fructibus domaniorum bello & armis quæsivit, Vid. Grotius de J. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 12. n. 3.

*De aliis bonis remissive.*

§. XIV. Plura adhuc exempla bonorum adduci possent, de quibus quoad testamenti factionem dubium aliquod supereft, e. g. de pretiosis domus augustæ, so aufß seiner rarität und Kunst - Kamfern befindlich/ de machinis & tormentis bellicis, de copiis militaribus aliisque ad splendorem & tutamen Reipubl. quæsitis: Verum cum omnia hæc inde dependeant, an ad allodium, an ad feudum pertineant, hoc vero per singulas species jam abunde deductum fit, in laudata disput. Dn. Alexandri de Allodiis Princip. Imp. c. 4. eo lectorem benevolum remitto, hoc tantum subjiciens, in illis Principatibus, ubi sémel jus primogenituræ introductum, non solere parentes facile pecuniam paratam, tanquam nervum rerum gerendarum filio seniori subtrahere per testamentariam dispositionem, nisi forte ultragenitus certam pecuniaæ summam ad comparanda mobilia pro instruendo appannagio legare velit.

*Deremediis  
contrate-  
stam. Prin-  
cip.*

§. XV. Jam ad remedia progrediendum foret, quæ alias pro testamento vel impugnandis, vel exequiendis competere solent; Verum cum supra jam evictum sit, testamento Principum Imp. juri communī conformia esse debere, inde sua sponte sequitur, iisdem remediis Principum testamenta impugnari posse, quæ alias prodita sunt quoad testamenta privatorum. Quapropter ubi æquale jus succendi vigeret, si alter liberorum in legitima lædatur, locus erit querelæ in officiis per Tit. C. de offic. Testam. quæ tamen filiæ Principis, quæ certa dote accepta successioni renunciavit, non competit, utut dos quan-

quantitatem legitimæ non attingat. Postquam enim hæc paœta renunciativa semel moribus Germaniæ probata, ita ut vim habeant filiam a successione penitus excludendi, huic jus petendilegitimam, & ita testamentum ut in officiosum impugnandi superesse nequit, arg. L. 6.  
§. 1. ff. de inoffic. testam. vid. Dn. Præses Tr. de Successione ab test. Dissert. 8. tb. 62. seqq.

§. XV. Pariter quoque remedia pro conse- *Remedia*  
quenda hereditatis possessione hic locum sibi vindicare certus sum, quorū pertinet interdictum *successoribus* *quorum competen-*  
*bonorum*, quo nuper inter se usi sunt circa successionem *tur.*  
Mecklenburgicam controvertentes Principes. Ut & re-  
medium ex L. fin. C. de Edict. div. Adriani, quod etiam  
Principi ab intestato successuero proderit, ad possessio-  
nem feudi vel principatus eo citius consequendam, si pro  
se testamentum defuncti habeat, vid. Schrader de Feud.  
P. 7. c. 2. n. 18.

§. XVI. Colophonis loco hoc tantum addo, sicuti Princeps in  
Principis conditurus ultimam voluntatem recte facit, si nihil *testamento*  
ex solennibus testamentorum negligat, ita pariter, si *solemniberes*  
quisquam ex privatis liberalitatem per testamentum in *instituen-*  
Principem conferre velit, non credat, sibi quid amplius *dus.*  
quoad modum testandi permisum esse, quam si priva-  
tum heredem scribat; quod non tantum procedit in Princeps in  
Principe Imperii, sed etiam, si ipsum Imperatorem heredem *testamento*  
scriperit; hic enim voluntatem suam in jure nostro *solemniberes*  
perspicue declaravit, se ex nulla scriptura, cui juris auto-  
ritas desit, hereditatem acceptaturum, subjecta ratione;  
licet enim legibus soluti simus, attamen legibus vivimus §.  
vlt. Inst. quibus modis testament. infirmentur. Et hoc non  
tantum in ipsa hereditate, sed etiam in legatis & fidei-  
commisssis; quæ si Princeps ex imperfecto testamento  
pe-

72 C. III. DE BONIS PRINC. TESTAMENT. RELINQUEND.

petat, inverecundum hoc esse dicitur. L. ex imperf. 23.  
ff. de Legat. 3.

*Et nunquam* §. XVII. Id quoque non negligendum, saepius testatores ex odio vel invidia, qua proximos agnatos profqvuntur, vel etiam ut creditorum, qui iustas prætentiones ad bona testatoris habent, jura eludant, aut alias his ægre faciunt, Principem heredem scribere solere, in qua postmodum apprehendenda nimium faciles esse solent rerum fiscalium patroni. Verum huic malevolo proposito testatoris iterum obex positus est jure nostro, in quo solenni & nunquam satis deprædicanda voce Imperatoris cautum est, non admissurum se hereditatem ejus, qui litis causa Principem reliquerit heredem, dicto §. ult. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm. que verba Pertimacem Imp. agnoscunt autorem, in cuius laudem adhuc hodie celebratur sententia, qua abstinentiam suam a bonis privatorum per remedia illicita testabatur: Satius esse, in openi Remp. obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia pervenire. Aliam rationem reddit Paulus in L. Imperatorem 91. ff. de hered. infit. ne calumnia facultatem ex principali majeſtate capiat; non enim inde debet injuriarum occatio nasci, unde iura proficiſci debent, L. meminurint 6. C. unde vi. Ut adeo hic casus adſit, ubi pri- vatus ex testamento quid capere potest, princeps non potest. Privatum enim heredem scribere possim in re litigiosa L. ex hoc editio. 8. §. 3. ff. de alienat. judicij invitandi cauſa. Sed si principi rem litigiosam legavero, hoc non sustinetur. Duaren. ad Tit. de hered. infit. c. 2. Manzius de Tefham. valid. tit. 6. qu. 7. n. 38. & seqq. Angelus ad §. ult. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm. n. 1. Utinam vero hoc ſemper in aulis obſervaretur; non pauci enim exiftiant, ſe ministerio ſuo non melius defungi poſſe, quam ſi Principi viam ostendant bona privatorum quoconque titulo ad ſe trahendi, parum perpendentes, lucrum inde fisco obveniens multiplici danno in aliis negotiis coniunctum eſſe ſolere. E contrario, ubi ſuum cuique relinquitur, & cives in poſſeſſione ſuorum bonorum, ſi de cetero nulla concurrat injuria, defenduntur, feliciori ſuccēſſu largiſiſmaque benedictiōne Deus corona publica Principum negotia. Verum instituti ratio prohibet hec fusius persequi, hinc ſilum abrumpo, & Deo pro viribus ſuppeditatis gratias ago.

ORNATISSIMO POLITISSIMO QVE  
IV VENI,  
IO. IACOBO LVEDECKIO,

S. D.

IO. FRANCISCVS BVDDEVS,  
P. P. ET ACAD. PRO-RECTOR.



T ingredi alacriter bo-  
narum artium literarumque cam-  
pum, & decurrere strenue, eos o-  
portet, qui finem omnibus propo-  
situs, feliciter consequi cupiunt.  
Præstisti vtrumque, optime  
LVEDECKI, & magno animo,  
& successu prorsus exoptato. Elegantiorum literarum  
& philosophiæ, quæ ad iuris diuini ac humani intimos  
recessus aditum pandit, notitia solidiori animum imbue-  
re, prima cura fuit. Neque perfunditorie saltem, & vé-  
lut canis e Nilo, hæc studia attigisti, sed animum iis  
prorsus perpoliuisti, vt speratos inde fructus colligere  
queas, quos frustra sibi pollicentur, qui a limine saltem  
hæc sacra salutantes, nec aureos, quos sibi temere fin-  
gebant, inde referentes montes, non sterilitatem infeli-  
ciem artium, sed suam accusare debebant, aut leuitatem,  
aut ignauiam. De Te autem, quæ palam profiteor,  
nota mihi sunt & explorata. Haud semel enim scripta  
tan.

tanta elegantia, stlylique puritate & suauitate composita, mihi exhibuisti, vt num perfectius quid & concinnius, a præstantissimo harum artium Magistro proficiisci potuerit, dubitauerim. Hisce itaque munitus præfidiis, in vastum ciuilis iuris oceanum ingressus es, & ingenii Tui præstantia, & clarissimorum illustriumque viorum, quibus leges ciuiles interpretandi prouincia demandata est, peritia atque solertia fretus: breuique eousque profecisti tempore, ut nihil in hac quoque eruditio-  
nis parte tam arduum esse, quod non ingenii superare bonitate posses, vel publico, quod nunc edis, specimine demonstrares. Haec vero, vt haud vanum documentum subministrant Magni Parentis, summi Viri & supra omnes meas laudes positi, feliciter aliquando Te pressurum vestigia, præclarissimo, ad quod Te compo-  
nis, exemplo ante oculos nunquam non versante: ita & vberimum gratulandi argumentum præbent. Nec enim aut Parentibus maior contingere felicitas potest, quam si filios sibi aliquando similes fore, certissimis in spem haud inanem eriguntur argumentis, nec filiis, quam si ad istud virtutis & sapientiae, & eruditio-  
nium viam iam sibi apertam intelligunt, quam in par-  
tentibus merito a tenera ætate fuerunt admirati. Hoc ergo vt & Parenti Tuo, plurimis nominibus & Tibi, & omnibus, quibus patriæ Principisque salus curæ cor-  
dique est, venerando, & Tibi quoque, Politissime L VEDECKI, prospere feliciterque & ex animi sen-  
tentia eueniat; id vero est quod opto, quodque preci-  
bus etiam meis a Deo impetrare annitar. Vale.

No-

*Nobilissimo & Doctissimo*  
DN. JOHANNI JACOBO  
LUEDEKEN,  
LL. Cultori solertissimo

S. B. D.

PRÆSES.



Ta vero cum laude di-  
scidis ex hac nostra Fridericana,  
postquam quadruplici eruditionis  
specimine & quidem binis in ca-  
thedra Philosophica, binis autem  
in juridica publice exhibitis exem-  
plum præbuisti aliis, qua ratione  
tempus in Academiis probe impendendum. Videlicet  
ingenuæ indolis certissimum hoc indicium est, non o-  
tio litare, aut delicijs vacare, & hac ratione Academiam,  
quæ Virtutum officina est, in vitorū palæstram conver-  
tere, sed eo omnes intendere vires, ut Parentum ex-  
pectationi satisfiat, & Patriæ commodis promovendis  
ingenium digne præparetur. Quod cum a te ha-  
cenus omni conatu factum sit, non possum non, quin Pa-  
renti tuo Illustri de filio non degenere, patriæ autem,  
patriæque Patribus de cive quondam utilissimo prolixe  
gratuler. Verum & mihi ipsi occasionem gratulandi  
habeo, quod Deus vitam meam huc usque clementis-  
sime provexerit, ut, cum hoc ipso mense Mayo ante an-  
nos XXIII. excellentissimum parentem in Cathedram  
publicam deduxerim, jam & filium ejus natu maximum  
pari, quod Deus velit, successu, eodem mense in Alma  
hac

hac nostra ad publicum eruditionis tentamen fisterem  
potuerim. Deus O. M. porro non tantum hunc Ma-  
jum Mensem familiæ vestræ, sed & omnes alios, imo &  
ætatem omnem jubeat cedere feliciter, quo & reliqui,  
qui supersunt, filii ex aequo paterna premant vestigia, &  
metam studiorum contingent ex voto. Vale. Dabam  
e Museo d. 5. Maij M DCCII.

**U**RERE mature, quod vult urtica manere,  
Jam veneranda diu protulit antiquitas.  
**Q**uid natale solum sibi mox promittere posset.  
De TE, preclara pagina docta docet.  
**H**inc ego de tanto letus TIBI grator honore,  
Ac ad propositum prospera queque precor.

Hanc sinceram animi tesseram Nobil.  
DN. Respond. Amico suo integrissimo adjicere voluit.

CHRISTIAN. SAM. de LUDWIGER.



94 A 7358

ULB Halle  
002 138 123


3



TA → DOL

nur 3. Steg verknüpft

Vd 17



**Farbkarte #13**

B / G.



*Q. D. B. V.*  
DISPUTATIO JURIDICA  
*De,*  
**PRINCIPE TE-  
STATORE,**  
Quam  
*Annuente Deo O. M.*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORVSSICI, ELECTORATVS ET  
PROVINCiarum BRANDENBURG. HEREDE,  
&c. &c.  
*In Academia Regia Fridericiana*  
PRAESIDE  
**DN. SAMVELE STRYKIO, JCto,**  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORUS-  
SORUM CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORE  
PRIMARIO, ET FACULT. JURIDICÆ ORDINARIO,  
PATRONO SUO AETERNUM SUSPICENDO,  
IN AUDITORIO MAIORI,  
D. Maj. Anno Salutis MDCCII.  
*placide publicæque ventilationi offert*  
**JOHANNES JACOBUS LUEDECKE,**  
Hall. Sax.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

